*AUTHOR:*

AUGER, ALFRED

*TITLE:*

DE DOCTRINA ET MERITIS JOANNIS...

*PLACE:*

LOVANII

*DATE:*

1892

Master Negative #

93-81643-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Auger, Alfred.

De doctrina et meritis Joannis van Ruysbroeck. Dissertatio theologica quam ... publice propugnabit Alfredus Auger ... Lovanii, Vanlinthout, [1892].

x, 183 p. 23½ cm.

Thesis. Louvain. 1892.

20220

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-6-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

# DOCTRINA ET MERITIS

## JOANNIS VAN RUYSBROECK

## DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS BAPTISTÆ ABBE

PROTONOTARII APOSTOLICI AD INSTAR PARTI
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL
ORD. LEOP. BELGII DECUR., ORD. ISAB. CATH. CO
ACAD. RELIG. CATH. SOCII,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOL

PRO GRADU DOCTORIS S. THE

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANI
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

ALFREDUS AUGER, EX ARC-AINIÈR
PRESBYTER DIŒCESIS TORNACENSIS,
S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS,
COLLEGII MARIÆ THERESIÆ SUBREGENS.

Diebus VI, XII et XVIII mensis Julii, ab hora X ad I,
anno MDCCCXCII.

LOVANII,
EXCUDEBAT J. VANLINTHOUT,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHUS.

UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

S. FACULTAS THEOLOGICA.
1891—92.

Nº DCXLVI.

# DE DOCTRINA ET MERITIS
# JOANNIS VAN RUYSBROECK.

DE

# DOCTRINA ET MERITIS

## JOANNIS VAN RUYSBROECK

## DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS BAPTISTÆ ABBELOOS,

PROTONOTARII APOSTOLICI AD INSTAR PARTIC.,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCT.,
ORD. LEOP. BELGII DECUR., ORD. ISAB. CATH. COMMEND.,
ACAD. RELIG. CATH. SOCII,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ,

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

ALFREDUS AUGER, EX ARC-AINIÈRES,
PRESBYTER DIŒCESIS TORNACENSIS,
S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS,
COLLEGII MARIÆ THERESIÆ SUBREGENS.

---

Diebus VI, XII et XVIII mensis Julii, ab hora X ad 1,
anno MDCCCXCII.

---

LOVANII,
EXCUDEBAT J. VANLINTHOUT,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHUS.

189R946
DA

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

# ISIDORO · JOSEPHO · DU ROUSSAUX

EPISCOPO · TORNACENSI

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ORDINIS · LEOPOLDINI · DECURIONI

PRÆSULI

PIETATE · FORTITUDINE · SPECTATISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

STUDIORUM · PROMOTORI · INSIGNI

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM.

VIRO · ILLUSTRISSIMO

DOCTRINA · ET · ERUDITIONE · PRÆSTANTISSIMO

JOANNI · BAPTISTÆ · ABBELOOS

PROTONOTARIO · APOSTOLICO · AD · INSTAR · PARTIC.

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECURIONI

ORD. · ISAB. · CATH. · COMMEND.

ACAD. · REL. · CATH. · ROM. · SOCIO

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

ADOLPHO · HEBBELYNCK

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ECCL. · CATHED. · GANDAV. · CANONICO · HONORARIO

COLLEGII · MARIÆ · THERESIÆ · PRÆSIDI

PATROLOGIÆ · ET · LINGG. ÆGYPT.

ANTECESSORI · PERITISSIMO

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PRÆFATIO.

Venerabilis Joannis van Ruysbroeck, « sanctissimi ac divinissimi contemplatoris », doctrinam et merita hisce paginis exponere sategimus. Nos non latebat argumenti difficultas, nec sine timore huic doctrinæ indagandæ manum apposuimus, verborum Bellarmini memores, auctori nostro præcipue congruentium : « Id accidere » solet iis qui scribunt de mystica theologia, ut eorum » dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia » non eodem modo ab omnibus accipiuntur ».

Cur tamen hanc selegeremus materiam, illud nobis causa fuit, quod hoc tempore Eminentissimus ac Reverendissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ princeps Petrus Lambertus Cardinalis Goossens, archiepiscopus Mechliniensis, illius de quo agimus servi Dei, causam beatificationis sæculo XVII interruptam reassumpserit, instanterque apud Sanctam Sedem agat, ut cultus publicus atque ecclesiasticus ab immemoriali tempore illi exhibitus, solemni decreto ratus habeatur atque amplificetur.

Haud etiam parum momenti nobis erat, quod tantus vir, inter auctores mysticos medii aevi apud nostrates facile princeps, a suis Belgis pro merito non agnosce-

retur, adeo ut, perspectis illius fatis, eam indolem nostram esse dixeris, ut de viris nostræ patriæ illustribus, dum ab extratibus summo habentur honore, nos econtra minime vel parum curemus. Quum enim, sæculis elapsis, Joannis van Ruysbroeck opera, diversas in linguas versa, ubique magni habita, in diversas regiones spargerentur, ultimis tantum hisce decenniis, in Belgio, curante Ex. David, hujus Almæ Universitatis Professore, collecta et in originali textu edita sunt; quum etiamnum illorum auctor magnis Germaniæ auctoribus mysticis accenseatur, ab extraneis summis celebretur encomiis, imo a Protestantibus inter « Reformationis præcursores » vel « Reformatores ante Reformationem » numeretur, a nostris, mira sane negligentia! vix aut ne vix quidem de illo aliquid scriptum esse videbamus.

Quibus rationibus moti, necnon antecessoris peritissimi, cui maximas heic referre gratias liceat, consiliis et auxilio freti, dissertationem nostram inauguralem conscripturi, de doctrina et meritis Joannis van Ruysbroeck aliquid qualecumque tentare ausi sumus.

Si quis rationem quærat cur de illius vita et scriptis fusior non sit sermo, responsio est de illis ampliorem occurrere tractationem in opere nostro quod inscribitur : *Étude sur les Mystiques des Pays Bas au Moyen Age*, pp. 157 sqq. et pp. 179 sqq.

Notandum autem velim seriei editionum operum Joannis van Ruysbroeck addendam esse, ut completa



sit, translationem gallicam quæ anno proxime elapso prodiit : *L'ornement des noces spirituelles, de Ruysbroeck l'admirable, traduit du flamand et accompagné d'une introduction par Maurice Maeterlinck;* quod opus artis litterariæ magis quam inquisitionis scientificæ præ se fert studium.

Hæc opella nostra prælo jam data erat, quum ineditum D. Ruelens opusculum, de quo p. 104 loquimur : *Jan van Ruysbroeck en Blommardinne*, a D. Vercoullie maxima nobis comitate transmissum est. Auctoris sententiam breviter referre liceat :

Initio sæculi XIV, Bruxellis exstitit quædam *Hedwige, Heylwighe*, vel *Heylewighe*, filia *Wilhelmi (Willem) Blomart*, qui inde ab a. 1261 inter scabinos Bruxellenses recensetur. Illius mulieris historia non cognoscitur, sed in diversis actis, aa. 1305, 1310, 1315, 1316, sub nomine *Blommardinne* comparet; inde ab a. 1316 usque ad a. 1330, in actis ipsius nulla amplius fit mentio; circa a. 1335 videtur mortua.

Ex iisdem actis colligitur illam multas possessiones emisse prope domum Hinckaert, ibique forsan *beghinagium* construxisse; cæterum ambæ familiæ (Blomart et Hinckaert) videntur fuisse consanguineæ; isti igitur Heylwigi R. saltem vicinus et forsan consanguineus erat.

Hanc mulierem auctor putat esse hæreticam Blommardinnam, cui igitur R. inter aa. 1317 et 1335 adver-

satus esset; hanc etiam identificat cum *Zuster Hadewijch*, quæ in codice Gandavensi dicitur : *Heilwijck de volmaecte ghelijck Seraphinnen;* arbitratur demum totum hoc negotium a Pomerio fuisse exaggeratum, omnia intra mœnia beghinagii, cui forte præerat R., peracta esse, ideoque de Blommardinna in R. libris nullam occurrere mentionem.

Sententiam D. Ruelens, erudite licet propugnatam, nobis non arridere fatemur. Ad opportunius tempus eam discutiendam remittimus; heic tamen animadvertendum ducimus Blommardinnam sectæ *liberorum spirituum* addictam fuisse (ex Pomerio), R. autem meritum præcipuum fuisse ut illos hæreticos debellaret (ex Scoenhovio). Loca librorum R. in quibus pseudomysticos corripit, Blommardinnæ sane alludunt; quod autem nulla illius mulieris ibidem fiat mentio, explicatur ex indole generali R. et scriptorum ejusdem scholæ; R. semper est, si ita loqui fas est, *impersonalis;* de seipso nunquam loquitur; vix in ejus libris invenitur verbum quod auctorem vel ejus consuetudines prodat.

---

# INDEX RERUM.

**PARS POSTERIOR.**



---

# INTRODUCTIO.

Joannes in *Ruusbroec*, sive, ut hodie dicunt, *Ruysbroeck*, qui pagus est prope Bruxellas, hanc urbem inter et Halam situs, anno 1293 natus est (1); secundum consuetudinem apud Regulares medii ævi in nostris provinciis vigentem, nomen sortitus « a villa unde natalem traxit originem » (2), dictus est *Joannes van Ruysbroeck*, vel brevius, *Joannes Ruysbroeck*. Ejus nomen non cognoscitur, neque de ejus patre in historia fit mentio; mater ejus, femina pia sed « quæ tenere nimis eum dilexit », illum ab incunabilis ad perfectionem christianam instituit, ita ut brevi « puer juvenis non more communi carnales affectus, verum potius spirituales profectus pro suæ ætatis modulo » sectaretur. Annos natus fere undecim, Joannes « maternam sollicitudinem fugiens », Bruxellas se contulit ad consanguineum suum Joannem Hinckaert, « qui eum gaudenter recepit, et scholis tradidit imbuendum ». Has autem, post annos quatuor, Ruysbroeck divina inspirante gratia dereliquit, ut christianæ perfectioni melius studeret; ejus fama sanctitatis comperta, mater Bruxellas petiit, cumque

(1) POMERIUS, *De origine monasterii Viridisvallis*, l. II, c. 31, in *Analectis Bollandianis*, IV, 1885, p. 305.
(2) POMERIUS, II, 4 in *An.*, p. 285.

eodem optato contubernio gaudere non posset, « accessit ad beghinagium, ut vel ibi crebrius quam in rure, filii sui, etsi interpolata, grata tamen sibi præsentia potiretur » (1).

Joannes Hinckaert, a patre Gerelmo Hinckaert milite (2), (qui inde ab anno 1287 inter scabinos Bruxellenses recensetur) (3) sæpe *Joannes Gerelmi* dictus (4), tunc temporis erat major canonicus ecclesiæ Sanctæ Gudilæ Bruxellensis (5). Hic, « insignis genere, honore præcipuus, dives possessione, præter proprium patrimonium etiam bonis Ecclesiæ fruens, cum per aliquot annos vitam seculariter egisset », ad meliorem frugem divina disponente clementia reversus, pietati omniumque virtutum exercitiis sedulo operam impendebat; per cujus conversationis exemplum ad sanctitatis studium inducti fuerant alii canonici, præsertim vero Franco de Frigidomonte (*van Coudenberg*), « famosus clericus, magister in artibus et ejusdem ecclesiæ minor canonicus (6), dives proprio patrimonio magnæque reputationis et famæ in populo » (7). His duobus viris, jam in eadem

(1) Pom., II, 2, in *An.*, p. 284, coll. I, 10, *ib.*, p. 273.

(2) Cod. II, 155, bibliothecæ regiæ Bruxellensis, in necrologio Viridivallensi, ad diem 18 maii. Cfr *Anal*, p. 280.

(3) Henne et Wauters, *Histoire de la ville de Bruxelles*, II, p. 511.

(4) Pom., I, 8, in *An.*, p. 271.

(5) i. e. ad primam fundationem pertinens, capituli sc. duodecim canonicorum, a Lamberto (Baldrico), Lovanii et Brabantiæ comite, a. 1047, 16a die novembris factam, cujus diploma invenitur apud Miræum et Foppens, *Opp. dipl.*, I, p. 57. — Cfr. Butler, *Vies des saints*, ed. De Ram, VI, pp. 303, 304.

(6) i. e. ad secundam fundationem pertinens, capituli sc. decem canonicorum, a. 1226 a duce Henrico I factam, cujus diploma habetur apud Miræum et Foppens, *Opp. dipl.*, I, p. 200.

(7) Pom., I, 8 et 9, in *Anal.*, pp. 271 et 272. Cfr. *De origine monasterii nostri Viridis Vallis*, initio cod. II, 155, fo 5; quem locum operis Pomerii compendium esse dixeris.



domo habitantibus atque in communi de suis possessiobus viventibus, se adjunxit « juvenis miræ devotionis » Joannes Ruysbroeck; « quem, tam pro generis affinitate quam vitæ et morum probitate dictus canonicus » Hinckaert mox « effectum vicarium ejusdem ecclesiæ Sanctæ Gudilæ, etiam ad sacros promovit ordines (1) ».— Anno 1317 (2) Ruysbroeck ordinatus est sacerdos, eoque die quo primum Missæ sacrificium perageret, matris suæ, paucis abhinc annis defunctæ, apparitione recreatus, eam a purgatorio, illius sacrificii virtute liberatam esse didicit (3).

Quum per nonnullos annos tres illi viri vitam sanctam in sæculo degissent, R. vero præsertim per suæ sanctitatis eminentiam (4) omnibus exemplum se præbuisset (quo etiam tempore, latentem hæresim, cujus fautrix erat mulier quædam Blommardina nomine, confutavit) (5), ab aliis frequenter impediti « ne tam devote Deo servirent, præcipue in horis legendis vel cantandis, sicut ex tote corde desiderabant, cœperunt locum perquirere secretum ubi liberius Deo in suo servitio vacare possent (6) ». Favente Franconis cum duce et

(1) Pom., I, 10, in *Anal.*, p. 273. Ex hac locutione, apud Val. Andr, *Bibl. Belg.* Lov., 1643, p. 555, repetita, Joannem successive vicarium et curatum hujus ecclesiæ fuisse deducit Bayle, *Dictionnaire hist. et crit.*, Amsterd. 1730, p. 106 : « car il eût été inutile, ce me semble, de remarquer qu'il était prêtre pendant qu'il était vicaire d'une église paroissiale »; quæ conclusio legitima non est; Joannes vicarius vel cappellanus fuit, i. e. canonicorum in officiis persolvendis adjutor, quod fieri poterat antequam ad sacros admitteretur ordines. Cfr. Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*. Paris., 1688, I, p. 656.

(2) Cfr. Pom., II, 31, in *Anal.*, p. 305.

(3) Pom., II, 3, in *Anal.*, p. 285.

(4) Cujus exemplum *ib.*, II, 4, p. 285, videsis.

(5) *Ib.*, 4, p. 286. Cfr. infra.

(6) Cod. II, 155, fo 5. Cfr. Pom., I, 13, p. 275.

nobilibus Brabantiæ familiaritate (1), locum Viridis Vallis (*Groenendael*, prope Bruxellas, sub parœcia de *Hoolaert* hodie dicta), quem specialiter elegerant, a Joanne III facillime impetrarunt. — Illum locum, antiquum ducum Brabantiæ patrimonium, Joanni de Busco eremitæ, ex illustri ducum Brabantiæ prosapia oriundo, et, post ejus mortem, viro religioso ibidem habitaturo, Joannes II litteris patentibus d. d. Veneris post assumptionem B. M. V., anno 1304, liberaliter assignaverat (2). Huic primo eremitæ successerant Arnoldus quidam Diestensis, et Lambertus, qui advenientibus sanctis sociis, « non coactus, sed libere » locum cessit, ut ad aliud reclusorium, vulgo *Botendale* (in pago hodie *Uccle* dicto) se transferret (3). — Diplomate dato Bruxellis « feria quarta in Paschalibus », i. e. 16ª die Aprilis, anno 1343, Joannes III Franconi de Frigidomonte possessionem illam contulit « tali conditione quod idem locus cum clausura et pertinentiis suis sit et maneat in futurum habitatio quinque virorum religiosorum ad minus, divina officia ibidem ad laudem et gloriam et honorem omnipotentis Dei, gloriosæ Virginis Mariæ ejusdem genitricis, omniumque sanctorum et electorum suorum celebrantium; de quibus duo ad minus erunt et esse tenentur presbyteri viventes religiose » (4). Anno 1344, Franco ipsiusque socii, de consensu Episcopi, capellam erigere cœperunt; quam erectam, vicarii Domini Guidonis Ven-

(1) Pom., I, 14, p. 276.

(2) Quod diploma invenitur apud Mastelinum, *Necrol. mon. vir. vall.*, p. 24; Miræum et Foppens, *Opp. dipl.*, I, p. 779. — Cfr. Cod. cit., ubi habetur : *mensis maii die* 28.

(3) Pom., I, 1-14.

(4) Cfr. Mast., *op. cit.*, p. 30. Mir. et Foppens, *op. cit.*, p. 780.



tadorii (1), tunc episcopi Cameracensis, eodem anno, mensis martii die 13ª, censuerunt et concesserunt debere consecrari, simulque Franconi contulerunt curam fratrum, familiarium et servientium. Ejusdem mensis die 17ª « venerabilis Dominus frater Mathias, Episcopus ecclesiæ Trapezundinæ, ex virtute et licentia prædictorum Domini Guidonis Episcopi vicariorum, præfatam primam ecclesiam in honore sancti Jacobi apostoli consecravit », et erexit in ecclesiam parochialem, cui præesset Franco (2). — Quum autem per quinquennium, « licet presbyteri, sub habitu tamen seculari ibidem insimul habitassent » tres viri sancti, Deo ferventissime servientes, pietatemque maxime colentes, successu tamen temporis, ampliori divini amoris fervore accensi, diversis præterea difficultatibus vexati, ad altiorem vitæ gradum ascendere voluerunt; eos siquidem de eorum vivendi modo et minus solito, et nusquam ab Ecclesia approbato non modicum redarguerat Petrus de Salicibus, tunc temporis Prior S. Victoris Parisiensis, Ordinis canonicorum regularium S. Augustini. Habita igitur a Petro Andreæ, episcopo Cameracensi, licentia, canonicorum regularium S. Augustini regulam profiteri decreverunt (3); hinc, die 10ª mensis martii anni 1349, Franco de Frigidomonte et Joannes Ruysbroeck in « monasterio » Viridis Vallis, ab eodem Episcopo Petro, habitum regularem susceperunt, qui, sequenti die,

(1) Cfr. Van Gestel, *Historia sacra et profana archiepiscopatus Mechliniensis*. Hag. Com., 1725, II, p. 78.

(2) Cod. II, 155, fº 5ᵛ.

(3) Pom., I, 16 et 17, in *Anal.*, 277-279. Cfr. *De origine mon. V. V.*, in cod. cit., fº 5ᵛ et 6ʳ; P. Impens, *Chronicon Bethleemiticon*, l. I, a. 2, § 1, in cod. abbatiæ Averbodiensis, fº 22.

Franconem Præpositum (1), et Joannem Ruysbroeck Priorem constituit (2). Sanctum Joannem Baptistam in patronum elegerunt, « cui tamen beatissimam Virginem tanquam principaliorem patronam prætulerunt » (3). Joannes Hinckaert, utpote senex et infirmus, ordinem non est professus, sed facto sibi seorsim habitaculo, in solitudine, licet exterius dissimilis, interno tamen eodem fervore præditus, cum suis sociis ad mortem usque permansit (4). Piæ societati jam antea se adjunxerat Joannes de Affligbem, qui primus *coquus* fuit monasterii Viridis Vallis (5). Brevi quoque, fama virtutum eorum crebescente, crevit numerus fratrum clericorum et fidelium laicorum, atque multis gratiis spiritualibus a Cameracensi episcopo, et donis temporalibus a duce Brabantiæ nova fundatio dotata est.

Professionis formula ab eis edita hæc fuisse videtur : « Ego N., offerens trado meipsum cum hiis oblationibus ad servitium hujus ecclesiæ sancti Jacobi apostoli. Et promitto Deo in præsentia cleri et populi me hic amodo victurum usque ad finem vitæ meæ secundum regulam canonicorum et beati Augustini sine proprietate pro nosse et posse meo. Promitto etiam stabilitatem huic loco donec necessaria animæ et corporis ullo modo habere potero, nec alicujus levitatis instinctu vel quasi districtioris religionis obtentu hunc habitum

(1) *Ib.*

(2) Juxta MAST., *op. cit.*, p. 32. PAQUOT, *Mémoires*, Lov. 1765, I, p. 52.

(3) P. IMPENS, *Chron. Bethl.*, I, 2, § 1, f° 22, ubi narratur miraculum quod a. 1348 circa imaginem B. M V. evenit, quæ ab Antverpia Bruxellas in capellam super *Zabulum* nuncupatam translata est. Cfr. MAST , *op. cit.*, p. 33, qui hanc narrationem ex Impens desumpsit.

(4) POM., I, 18, in *An* , p. 279.

(5) POM., I, 15, in *An.*, p. 277. « Paulo post Rusbrochium, » ait P. Impens.



immutabo vel hoc claustrum exibo. Promitto quoque obedientiam omnibus præfatæ ecclesiæ prælatis quos sanior pars congregationis canonice elegerit, ut a Domino centuplum accipiam et vitam æternam » (1). Quam formam postea Petrus de Salicibus, epistola anno 1366, « die sabbati post Pascha, scilicet, undecima die aprilis scripta et eis missa » impugnavit, eam erroneam, Decretalibus et canonicis sanctionibus contrariam, et incompletam esse affirmans; cum enim votum castitatis sit unum ex essentialibus tribus votis, illudque talis formula non comprehendat, constare illam formulam esse insufficientem et cujusdam novæ religionis notam in se continere. Suasit igitur, post acerbam correptionem, « caritativa admonitione, » ut canonicas institutiones ab una religione approbata, modum vivendi, habitum formamque professionis assumerent; quod mox illi humiliter suscipere et fideliter adimplere studuerunt (2). Exinde nova congregatio non minus personarum numero quam omnium virtutum profectu adaugeri cœpit.

Devoti Prioris sancta conversatio, qui in sæculo jam degens, christianæ perfectionis exemplar esse videbatur, in monasterio magis adhuc excelluit, ita ut, ex omnibus

(1) P. IMPENS, *Chron. Bethl.*, f° 23. Cod. II, 155, f° 6v.

(2) Hæc nobis traduntur ab auctore relationis quæ in cod. II, 155 invenitur et a P. Impens. Pomerius « longam epistolam Prioris Sancti Victoris, a se personaliter lectam, » ad a. 1349, referre videtur (I, 16); de eadem epistola « super modum vivendi eorum et minus solitum et nusquam ab Ecclesia approbatum » videtur loqui auctor 2dæ relationis, qui eam ad a. 1366 refert. P. Impens duplicis epistolæ mentionem facere videtur (I, 2, §§ 1 et 2). Petrus de Salicibus, qui cæterum nec a Pomerio, nec ab Impens uti auctor primæ epistolæ citatur, inde ab anno 1349 usque ad annum 1367 Prior fuit Sancti Victoris (cfr. *Gallia christiana*, VII, p. 683). Forsan Pomerius, qui, in fine libri I, eventus contrahit et obiter narrat, de difficultatibus servorum Dei loquens, temporis moram antecessit.

nostræ regionis, imo et vicinarum terrarum partibus, plures ad vivida virtutum exempla conspicienda (1) vel ad monita spiritualia recipienda (2), ad monasterium Viridisvallis concurrerent. In eo humilis obedientia et maxima voluntatis propriæ abnegatio (3), ardentissima tum ad Deum, tum ad fratres propter Deum effluens caritas (4), piissima erga Sacram Eucharistiam devotio (5), omnes denique virtutes elucebant. Totus divinis contemplationibus addictus, copiose nonnunquam divina gratia perfundebatur, et cœlestibus recreabatur visionibus (6); interdum ab antiquo nostræ salutis hoste graves patiebatur vexationes (7), at simul etiam, cum Maria dum otiabatur, cum Martha negotians vitam activam cum contemplativa facillime conjungebat (8). Præviso sui obitus die (9), « sanus mente et facie rutilus, post devotam fratrum suorum recommendationem, dulcissima exsufflatione spiritus et absque communi morientium vestigiis, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo, in octava beatissimæ Katherinæ virginis et martyris (2ª die decembris) in pace feliciter obdormivit (10). » Sepultus est, fratribus magna devotione astantibus, in prima ecclesia; nova autem, ad ampliandum monasterium, constructa ecclesia (11), quum a. 1387,

(1) Cfr. infra.
(2) Pom., II, 13, 19.
(3) *Ib.*, II, 22.
(4) *Ib.*, II, 20, 21, 23.
(5) *Ib.*, II, 27, 29.
(6) *Ib.*, II, 17, 26.
(7) *Ib.*, II, 24.
(8) *Ib.*, II, 20.
(9) *Ib.*, II, 30.
(10) *Ib.*, II, 31.
(11) Quæ postea tantum, a. 1395, consecrata est a Johanne, episcopo



Joannes tSerclaes, episcopus Cameracensis, Præpositi Franconis exsequiis personaliter adesset, audita Prioris fama, fratribus quoque illud humiliter flagitantibus, decrevit ut ipsius ossa antiquo sublata sepulchro, in novam ecclesiam ad novum tumulum in quo Præpositus esset sepeliendus, simul a fratribus transferrentur. Exciso tumulo, defuncti Prioris corpus illæsum in cista inventum est, quod per biduum expositum, die tertia cum magnæ solemnitatis reverentia et populi non parva frequentia, una cum corpore primi Præpositi, in uno sed interciso tumulo venerabiliter collocarunt; itaque duo sancti amici, « sicut in vita unanimes, ita, disponente divina clementia, post mortem tam corpore quam spiritu fuerunt contubernales (1). »

Multa miracula Joannis Ruysbroeck reliquias illustrarunt; quæ citata invenies apud Pomerium, II, 32, 33; Thomam a Jesu, *Relatio pro beatificatione Joannis Rusbrochii*, cap. 28; Mastelinum, *Necrol. Mon. Vir. Vall.*, præsertim c. 25.

Anni 1622 die 8ª novembris, Illustrissimus Jacobus Boonen, archiepiscopus Mechliniensis, corpus servi Dei e terra delatum, ligneoque conditorio repositum, digniore loco collocari jussit; quod cum Domina Isabella, Hispaniarum Infans, die 17ª novembris visitasset, aliud illi sepulcrum magnificum suis sumptibus fieri et ornari mandavit (2). Quum autem quotidie populi erga servum Dei veneratio augeretur, omnesque vehementer cuperent ut in Beatorum numerum tantæ sanctimoniæ exemplum

Laudicensi, ex commissione Andreæ, episcopi Cameracensis. Cfr. cod. II, 155, fol. 7r.
(1) Pom. II, 34, 35. Cfr. I, 21.
(2) Mast., *op. cit.*, pp. 123, 124. Thomas a Jesu, *Relatio cit.*, p. 22.

collocaretur, jam summo Pontifici Gregorio XV, uti videtur, ad obtinendam illius beatificationem, Patres et superiores congregationis Windesemensis, informationis juridicæ, utpote difficillimæ, loco, « relationem fide dignam de sanctitate vitæ et miraculis ejusdem servi Dei » exhibuerunt (1). Verum, quum juxta antiquum Ecclesiæ ritum, sanctorum canonizatio sine prævia informatione, eaque juridice facta, ac plurimorum testimoniis confirmata et illustrata, nunquam fieri soleat, processum super vita et sanctitate Joannis auctoritate ordinaria fieri præfati Patres curarunt (2); quapropter, litteris Illustrissimi Jacobi Boonen die 30ª januarii a. 1624 datis, deputatus Aubertus Miræus inquisitionem illam instituit; cujus depositiones a Joanne de Weze, apostolico et regio notario collectæ sunt. Informatione die 4ª junii completa, processum archiepiscopi Mechliniensis sigillo confirmatum et Romæ missum, P. Gabriel Pennottus, Procurator generalis canonicorum regularium congregationis Lateranensis, congregationis Windesemensis nomine S. P. Urbano VIII exhibuit; quo ad sacram Rituum Congregationem transmisso, « resolutum est probationes esse sufficientes, et plane satisfactum generali inquisitioni per sacros canones requisitæ, et propterea litteras remissoriales et compulsoriales decernendas et relaxandas fore et esse, pro faciendis processibus authoritate apostolica ad effectum beatificationis et canoniza-

(1) Quæ « a R^do^ admodum atque eruditissimo Patre F. Thoma a Jesu, Hispano, ord Carmelitarum Discalceatorum per Belgium et Germaniam vicario generali » (de quo cfr. Paquot, *op. cit.*, I, p. 62). composita, a. 1623 typis edita est, ejusdem anni die 8ª martii a Cornelio de Witte et Auberto Miræo censoribus approbata.

(2) Mastelinus, *op. cit.*, p. 128.



tionis » (1). Judices ab Eminent. Francisco Maria, episcopo Ostiensi, S. R. C. Præfecto, constituti fuerunt : Illustrissimus Jacobus Boonen, et venerabiles domini Aubertus Miræus, ecclesiæ B. M. V. Antverpiensis, Cæsar Clemens, ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellensis respective decani, et Henricus Calenus, ecclesiæ S. Joannis in Molenbeek curatus et districtus civitatis Bruxellensis decanus. Illi viri, inde a 23ª aprilis die 1626 usque ad 11^am^ februarii a. 1627, testes juratos audierunt processumque juridicum debite instruxerunt; quem prædicta die conclusum ad Sacram Rituum Congregationem transmiserunt (2). — Causam beatificationis, postea qua de causa nescimus, interruptam, Em^us^ Petrus Lambertus Goossens, nunc temporis Mechliniensis archiepiscopus reassumpsit atque, Deo favente, ad felicem perducet exitum.

---

Spiritu sapientiæ et intellectus illustratus (3), Joannes Ruysbroeck materna lingua (4), tum adhuc in sæculo manens, tum in monasterio professus (5), « plures devotissimos atque altioris intelligentiæ libros sagaciter edidit, et gratiam cœlestis suavitatis, quam divinitus accepit, in proximos suos et posteros Ecclesiæ copiosa liberalitate diffudit (6). » -- Ipsius moris erat ut, dum

(1) Mastel., *op. cit.*, p. 120. Quæ omnia in primo Tomo Actorum Beatificationis, in archiv. archiep. Mechl. servatorum, inveniuntur.

(2) Mast., *op. cit.*, 129-130, 139-140. Quæ documenta in secundo Actorum Tomo inveniuntur.

(3) J. Busch, *Chronicon Windesemense*. Antv., 1621, p. 176.

(4) *Ibid.* — Thomas a Kempis, *Chronicon montis S. Agnetis*. Antv., 1621, p. 147, etc.

(5) Pom., II, 16, in *Anal.*, p. 295.

(6) Thomas a Kempis, *loc. cit.*

divinæ illustrationis radio immadesceret, solus in abdita sylvæ (Zoniæ) incederet, ibique, dictante Spiritu Sancto, ea quæ mente sibi occurrebant, in tabula cerea scripto commendaret; elapsa nonnunquam plurium hebdomadarum mora « quibus dictandi gratia privabatur », opus incœptum perficiebat, atque « tam compendiose tamque decenter, absque priorum tamen memoria præteritis præsentia » addebat, ut uno eodemque tempore, suos codices compilasse videretur (1). Quum senio gravaretur, languore tamen corporis splendorem mentis minime obfuscante, secum in socium fratrem monasterii assumebat, cui suas divinas contemplationes dictaret (2).

Hæc opera, quæ tribus manuscriptis contenta, in monasterio Viridisvallis servabantur (3), quum a diversis partim in latinum versa atque typis edita essent, sæculo XVI pluries a Surio, Carthusiæ Coloniensis alumno, in editione latina completa vulgata sunt; ab anno demum 1858, in textu originali, curante David, VI tomis divisa, edita sunt.

Quæ, quum præcipui nostræ opellæ sint fontes, juxta editionem David, Pomerii tamen, qui chronologicus nobis videtur, ordinem (4) secuti, citamus :

A) Opera certa.

1° *Regnum Amorosorum. — Dat boec vanden Rikeder ghelieven.* (David, *Werken van Jan van Ruusbroec,* IV, 1861, pp. 123-266.)

(1) Pom , II, 14, p. 293. Cfr. 15, ubi narratur eum sub arbore, divina luce circumdatum, a quodam fratre visum fuisse.

(2) *Ib.* Cfr. *Prologus fratris Gerardi Carthusiensis*, in David, I, *Voorrede*, p. IX.

(3) Miræus, *Fasti Belgici et Burgondici*. Brux., 1622, p. 712.

(4) Pom., II, 16, in *Anal.*, p. 295.



2° *Ornatus spiritualium nuptiarum. — Die chierheit der gheesteleker brulocht* (VI, 1868, post mortem David, cur. Snellaert, pp. 1-194).

3° *De calculo. — Dat hantvingherlijn oft vanden blickenden steene* (VI, pp. 195-240).

4° *De quatuor tentationibus. — Dat boec vanden vier becoringhen* (IV, pp. 267-290).

5° *De fide. — Vanden kerstenen ghelove* (III, 1860, pp. 237-260).

6° *De spirituali Tabernaculo. — Dat boec vanden gheesteleken tabernacule* (I et II, 1858).

7° *De septem seris. — Dat boec van seven sloten* (IV, pp. 61-122).

8° *Speculum salutis æternæ. — Die spieghel der ewigher salicheit* (III, pp. 117-236).

9° *De septem gradibus amoris. — Van VII trappen inden graet der gheesteliker minnen* (IV, pp. 1-60).

10° *Liber retractationis (Samuel). — Dat boec der hoechster waerheit* (VI, pp. 241-270).

11° *De duodecim beghinis. — Dat boec vanden twaelf beghinen* (V, 1863).

B) Opera dubia.

1° *De duodecim virtutibus. — Dat boec vanden twaelf dogheden* (III, pp. 1-116).

2° *Summa totius vitæ spiritalis* (apud Surium, 1552, pp. 11, 12).

3° *Epistolæ septem utilissimæ* (ib., pp. 524-539), ex quibus unius textum integrum, aliarum autem trium excerpta, originali idiomate in opere nostro : *Etudes sur les myst. du Moyen Age...*, pp. 340 sqq., dedimus.

4° *Cantiones duæ piissimæ* (Surius, pp. 539-540).

5° *Oratio perbrevis, sed pia valde* (ib., pp. 549).

Subsidia autem præcipua nobis fuere :

*Præfationes* et *Glossaria* editionis David.

Versiones et editiones a nobis in opere : *Étude sur les mystiques*, pp. 186 sqq., citatæ.

Engelhardt, *Richard von St. Victor und Johannes Ruysbroeck, zur Geschichte der Mystischen Theologie.* Erlangen, 1838. — Ex eo præcipue haustum, opus

Ullmann, *Reformatoren vor der Reformation, vornehmlich in Deutschland und den Niederlanden*, II. Hamburg, 1842, pp. 35 61.

Ch. Schmidt, *Études sur le Mysticisme allemand au* XIV[e] *siècle*, in *Mémoires de l'Académie royale des sciences morales et politiques de l'Institut de France.* Paris, 1847, *Savants étrangers*, II, pp. 437-466.

F. Böhringer, *Die kirche Christi und ihre Zeugen, oder die Kirchengeschichte in Biographieen*, XVIII. Stuttgart, 1878, pp. 442-611.

Van Otterloo, *Joannes Ruysbroeck. Een bijdrage tot de kennis van den Ontwikkelingsgang der Mystiek.* Amsterdam, 1874.

Ch. Schmidt, v° *Ruysbroeck*, in Herzog, *Real-Encyclopädie.*

O. Schmidt, v° *Ruysbroeck*, in *Allgemeine Deutsche Biographie.*

---

# PARS PRIOR.

## De doctrina Joannis van Ruysbroeck.

Quamvis in singulis auctoris nostri operibus, tum ex finis diversitate, tum ex uberioris explicationis necessitate, alio atque alio ordine materia disponatur, in omnibus tamen, sive polemice contra hæreticos auctor agat (1), sive thetice suas doctrinas exponat (2) sive practice ad informandos sibi subditos consilia deducat (3), sive tandem exegetice aliqua sacræ scripturæ loca interpretetur (4), idem fere occurrit argumentum, mysticæ nempe vitæ descriptio, sive diversorum perfectionis christianæ graduum explanatio. Solemnis autem illi est tripartita divisio, (quamvis in aliquibus locis duplicem tantum mysticam
vitam agnoscere videatur, in aliis econtra, quartam V, 48.
quamdam, vitam scilicet *communem (ghemeyne)* addat), IV, 264. VI, 10 sqq., 195, 238.
qua vitam spiritualem distinguit in vitam activam *(beginnende werkende leven)*, vitam internam *(ynniche verhavene leven)* et vitam superessentialem contemplativam
(*overweselike godscouwende leven)*. Vita activa extra nos VI, 4.
(*buten ons*), in virtutum moralium exercitiis, quæ nos ad

(1) Ut in libro *de quatuor tentationibus.*
(2) Ut in *Nuptiis spiritualibus, Calculo, Samuel.*
(3) Ut in libris *de septem gradibus, de septem clausuris.*
(4) Ut in *Spirituali Tabernaculo.*

proximum ordinant, præcipue consistit, ideoque ipsius nota caracteristica est *agere (werken)*; vita intima, intra nos (*binnen ons*), in exercitiis internis nos ad Deum ordinantibus ponitur, ideoque ipsius nota caracteristica est *se recolligere*, *introverti (inkeeren)*; vita tandem superessentialis contemplativa, ad quam attingunt paucissimi, supra nos *(boven ons)*, supra omnia rationis opera, speciali adjuvante Dei gratia, exercetur, ipsiusque nota caracteristica est *Deo fruitive adhærere* (*aencleven aen Gode — ghebruken in Gode*) (1). Hæ duæ ultimæ, uti vitæ contemplativæ gradus considerari possunt; vita autem communis nihil aliud videtur esse quam vita *mixta*, perfectissima, utpote et actione simul et
V, 48. contemplatione constans. Utrum autem hæ diversæ vitæ, tripartitæ divisioni statuum hominis (*incipientis*, *proficientis*, *perfecti*) apud Mysticos tritæ respondeant, aperte non liquet; licet enim aliquando de vita *incipiente*, *proficiente*, *perfecta*, apud R. sit sermo (2), in unaquaque tamen vita, triplex stadium ab ipso agnoscitur : præparatio (via purgativa), exercitium (via illuminativa), culmen (via unitiva) (3). Satius igitur nobis dicendum videtur, intermediæ vitæ, apud auctores mysticos non frequenter occurrentis, vitæ scilicet internæ seu devotæ R. quodammodo auctorem esse; cæterum, hæc diversa perfectionis christianæ stadia non eodem sensu a R. et a cæteris mysticis intelligi, in decursu tractationis videbimus.

Hanc doctrinam de triplici vita totius Rusbrochiani

(1) II, 166, ubi tres vitæ exponuntur juxta comparationem a fratre Gerardo in suo prologo laudatam, de bestiis, piscibus et avibus.

(2) Cfr. præsertim *Speculum salutis æternæ*.

(3) Cfr. præsertim *de nuptiis spiritualibus*.



systematis cardinem esse putamus; ubique fere, non tantum in integris libris, sed in diversis ejusdem operis partibus, secundum hanc materia dividitur; ex eo autem illud consequitur quod, licet R. maxime, ut aiunt, *systematicus* sit, maximeque intricatas divisiones recto tramite servet (1), plerumque tamen, ipsius distinctiones minus ex objectiva rerum diversitate quam ex præsupposito scopo, originem ducant. Quum enim, Mysticorum more, ad suam illustrandam mentem ubique R. analogias quærat, et juxta diversas similitudines doctrinam suam exponat (2), facile fit ut, adæquatum parallelismum prosequens, comparationes suas nimis urgeat; hinc aliquando, quod mox in doctrina ipsius de Deo videbimus, distinctiones meræ rationis in typo ponit, juxta quas materiam suam dividat et explicet (3); et vicissim, aliquando in re comparata aliqua addit, ut typo perfecte illa respondeat (4). Hinc probata nobis non est methodus qua mysticæ Rusbrochii doctrinæ speculativa fundamenta, nulla ad scopum ipsum habito respectu, seorsim exponerentur; quum tamen ad rectam ipsius mysticæ doctrinæ intelligentiam theologicas et philosophicas notiones ab auctore nostro admissas perspectas habeamus necesse sit, opportunum duximus primo quidem de his agere,

(1) Cfr. præsertim *Regnum amorosorum*. — *Nuptiæ spirituales*.

(2) Quod ipse R. ultro fatetur, V, 82 : *Eñ dit* (*dese drie wisen van leven* uti patet ex seqq.) *wil ic proeven mit naturen, met redenen eñ met der heyligher Scrifturen, met exemplen eñ met allen creaturen, met der waerheit die God selve is, eñ met allen dien dat hi ghescapen heeft van beghinne der werelt*... Cfr. 88.

(3) Hinc aliquando fit, ut in ejusdem rei descriptione, sibi contradicere videatur. Cfr. V, 84 et IV, 137, pro descriptione supremi cœli.

(4) E. g. in *Tabernaculo spirituali*, 3, 4, vel 5 *virtutes principales* vel conditiones requisitæ inveniuntur pro numero explicandorum *vectium* vel *annulorum*.

animo tamen semper in auctoris finem intento; postea vero, ipsam doctrinam mysticam exponere. Sit itaque prioris hujus partis duplex caput : 1um de doctrina theologica et philosophica; 2um de doctrina mystica Joannis van Ruysbroeck.

## CAPUT PRIMUM.

### DE DOCTRINA PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA JOANNIS VAN RUYSBROECK.

#### ARTICULUS I.

#### DE DEO.

Secundum doctrinam a Patribus frequenter traditam, apprime distinguit R. inter cognitionem nostram *an Deus sit*, et *quid sit*. Illud quidem prius, tum ratione,
IV, 135. ex inspectis creaturis, tum fide, ex revelationis testimonio, compertissimum esse asserit : « nam quod Deus
VI, 37. Cfr. IV, 141; V, 62. sit, hoc ostendit natura, et scripturæ et omnes creaturæ »; hoc vero alterum, nec scientia humana nec fide nos doceri, sed essentiam Dei, quando quæritur *quid sit*, esse incomprehensibilem, aperte declarat : « quidditas *(watheit)* Dei superat omnem creaturam...; quidquid enim creatura comprehendit, creatura est; Deus autem est supra, et extra, et intra omnem creaturam, omnisque
VI, 36, 37. Cfr. IV, 119. creata comprehensio nimis arcta est, quam ut Eum comprehendat. » Ex allata ratione patet cognitionem illam Dei quidditativam, esse cognitionem propriam essentiæ Dei, ut in se est, prout *proprium* opponitur *analogico;* cognitionem enim analogicam Dei possibilem



esse R. ultro fatetur. Possumus enim Eum cognoscere « velut *in speculo*, in quo videmus formas, imagines, similitudines Dei; sed substantiam, quæ Ipsemet est, non possumus aliter videre quam per Ipsum, et hoc est supra nos et supra omnia virtutum exercitia. » Cognitio IV, 19.
autem illa analogica ultimatim resolvitur in *affirmationes* perfectionum quarum ideam « ex operibus Dei effluentibus (ad extra) » informamus; in *negationes* imperfectionum quibus creaturæ ipsique conceptus nostri afficiuntur : « nam quatenus ratio illas imagines concipit, eatenus illæ creatæ sunt »; ac tandem in *elevationem* ad modum infinitum : « ratio videt quod Deus hæc omnia possidet supra se, hoc est, in incomprehensibilitate. » IV, 243. Cfr. 241, 242.
More Mysticorum, viam negationis et eminentiæ, utpote Deo digniorem, auctor præfert : ab eo « alta natura Dei notatur atque respicitur quomodo est... inaccessibilis altitudo, abyssalis profunditas, incomprehensibilis latitudo, æterna longitudo, caliginosum silentium, etc. » VI, 107.
Eumdem characterem præbet cognitio etiam ex fide hausta : « Altior Dei notitia, quam quis in activa vita habere valet, illud est, quod in lumine fidei cognoscat Deum esse incomprehensibilem et incognoscibilem *(dat God onbegripelic es eñ onbekenlijc es)*. » VI, 50.

Quod de conceptibus dictum est, pariter et de nominibus dici debet : Deus est in se « abyssus innominabilitatis *(een abijs der onghenaemtheit)* »; diversis VI, 192.
tamen nominibus Illum designare possumus : « quamvis sint plura nomina quæ Deo attribuimus, summa tamen divina natura est unum quid simplex, ab omni creatura innominatum; sed propter Ipsius incomprehensibilem nobilitatem et altitudinem, omnia Illi hæc nomina damus, quia Eum plene nec nominare, nec effari pos-

VI, 46. sumus ». « Illorum nominum multitudo major est, quam
IV, 20. ut concipere vel enarrare possimus »; ut enim recta sit
applicatio, satis est ut Deum concipiamus vel nomine-
mus « sub una *immensa*, *abyssali* ratione naturæ divinæ
VI, 46. *(al onder ene grondelose redene godliker naturen)* »; illis
enim omnibus denominationibus, « unum idemque im-
VI, 107. mensum, abyssale Bonum notatur atque respicitur. »

Licet autem omnimodas de Deo negationes proferat,
agnoscit tamen R. Deum esse « *Ens* æternum vivens
V, 63. *(een ewich levende yet)* »; « cognoscere, amare, velle, hæ
V, 80. sunt æternæ Ipsius actiones, quæ Ipsemet est ». De Eo
omnes illæ negationes proferri debent, quia est Ens
simplicissimum et perfectissimum.

Trinitatem personarum cum unitate naturæ secundum doctrinam catholicam R. profitetur : « Deus est unus in natura, trinitas in fecunditate, tres personæ in discrimine divisæ *(drie persone in onderscede ghedeylt)*; et illæ tres personæ sunt unitas in natura, trinitas in suo fundo fecundæ naturæ Dei; tres proprietates *(eyghenscape* sc. *proprietates relativæ)* tres personæ sunt, nominibus et distinctione discretæ, unum tamen in natura et operatione. Unaquælibet persona habet totalitatem naturæ in se, et sic est unaquæque omnipotens Deus, idque in naturæ virtute, non in personali distinctione; et tres personæ habent unam naturam divinam indivisam, et ideo sunt unus Deus in natura, non tres dii in distinctione personarum. Et sic est Deus trinus in nominibus et personis, et unus in natura (1). » « Trinitas a natura non realiter, sed secundum rationem *(niet na*

(1) IV, 58, 59. Cfr. not. Hinc etiam, toti Trinitati cultus unus est exhibendus (III, 138).



*dinghen, mer na redene*) distinguitur, nam trinitas est
unitas naturæ, sed profert personas, distinctas et ratione,
et realiter *(na redenen, eñ oec na dinghen)* ». « Relationes V, 76.
enim *(wederdraghinghe)*, quæ faciunt personales proprie-
tates, subsistunt *(bestaen)* in quadam æterna differentia...
Pater generat *(ghebaert)* suum Filium (1) sine intermis-
sione, et ipsemet non generatur; Filius generatur nec
generare potest, ita ut Pater unum in æternitate Filium
habeat, et Filius unum Patrem : istæ sunt Patris ad
Filium et Filii ad Patrem relationes; atque Pater et
Filius unum Spiritum spirant (*gheesten*), qui est ambo-
rum voluntas vel amor : iste spiritus nec generat nec
generatur, sed necesse est eum æterne effluenter (*uut-
vloyende)* ab ambobus spirari (2). Atque istæ tres per-
sonæ sunt unus Deus et unus Spiritus. » Tres personæ VI, 109.
sunt coæternæ, consubstantiales (*een nature, een sub- V, 76, 77.
stancie* (3)), omnimode æquales *(ghelijc in alre wijs)*, V, 85.
tum in essendo, tum in vivendo, tum in agendo;
attamen Pater dicitur prima persona in natura divina. V, 76.

« Omnes proprietates cum effluentibus operibus (ad
extra), sunt omnibus personis communes, nam in virtute
unius simplicis naturæ operantur ». Singulis tamen per- VI, 109.
sonis per *appropriationem* tribuuntur, propter conve-
nientiam operis cum uniuscujusque personæ charac-
tere (4).

---

(1) i. e. suam sapientiam (V, 76, 77), suum Verbum (III, 243).

(2) « Qui a Patre Filioque procedit ». *Hi is uutgaende ute den Vader eñ ute den Sone* (III, 243). *Die Vader metten Sone, vloyen uut hem den heylighen Gheest* (V, 85).

(3) III, 240, translatio verborum symboli « consubstantialem Patri. »

(4) *Die men den Sone Gods toe eyghent... die wi onsen Vader ane scriven* (IV, 104).

Porro, juxta suam doctrinam mysticam, R. in Deo tum essentiam *(wesentheit)*, tum naturam *(nature)* distinguit, illam nomine abstracto, hanc nomine concreto sæpius significans, priori otium, posteriori activitatem et fecunditatem tribuens : « Deus est æternum esse otiosum secundum suam essentiam (*ewich ledich wesen na sijn wesentheit)*... Ipsius natura operatur omnia
V, 79, 80. secundum fecunditatem (*sine nature werct alle dinc na vruchtbaerheit)* ». « Personæ divinæ, in fecunditate suæ naturæ, sunt unus Deus æterno agens, et in simplicitate sui *esse*, sunt divinitas, æternum otium *(ledicheit)*; sic Deus semper est in personis, æterna actio, et in esse,
IV, 54. Cfr. 53. æternum otium ». — Ex oppositione in his textibus instituta, manifesto patet vocem *ledich*, non in sensu generico *vacuum* (qua voce frequenter Mystici essentiam divinam significant), sed in sensu specifico *ab omni operatione vacuum*, *feriatum* (1), *otiosum* intelligi debere,
V, 84, etc. quod cæterum ab auctore sæpius additur : *ledich sonder werk*. — Quid autem hac voce intelligatur, paucis explicandum. Distinctio inter essentiam et naturam inducta non est realis, sed rationis tantum : « Sic intelligimus discrimen et differentiam, *secundum nostram rationem*, inter Deum et divinitatem, operari et otium. Fecunda natura personarum, ubi trinitas in unitate, et unitas in trinitate est, est æternum agens in viventi discrimine; sed simplex esse Dei, *secundum quod est esse simplex*, est æternum otiosum esse Dei et omnium creaturarum (2) ».

(1) Cfr. *De imit. Christ.*, II, 5, 3.

(2) V, 37. Cfr. 75 : *nadien dat wesen heet... eñ dat selve wesen is nature*. — Imo, illud ab hæreticis assumptum « *esse* Dei esse otiosum » non negat, sed respondet « Ipsius *naturam* in actibus cognitionis et amoris consistere » (III, 199; V, 51). Cæterum, *naturam* divinam esse « purum actum (*een puer werk*) » R. agnoscit (IV, 95, cfr. 98, 226).



Quærit nempe R., ut contemplativæ vitæ notas explicet, in quonam consistat summa Dei felicitas, eamque in simplicissima et omnimoda Ipsius perfectione reponit, quam, secundum methodum a nobis assignatam, negationibus extollit. Essentia divina illi est « superesse *(overwesen)* », « esse sine modo *(wiselose wesen)* », etc. V, 79. IV, 59.
Quum autem beatitudo in fruitione *(ghebruken)* consistat, quæ actioni opponitur (1), sicut, relate ad humanam cognitionem, essentia divina ut « caligo sine modo *(wiseloese demsterheit)* » consideratur, ita, relate ad actionem nostram quæ imperfectionem importat, « æternum otium » nominatur. Illud otium reducitur ad summam IV, 53.
Dei simplicitatem (2), immutabilitatem (3), æternitatem (4), absolutam denique perfectionem ; nec proinde excludit, sed potius includit actum *substantialem* tum cognitionis, tum amoris : « Beatitudo interminata Dei nunquam nisi seipsa cognoscitur *(si en wert nemmermeer bekent anders dan met haers selfsheit)*; et est Deo quoddam *otiosum essentiale scire*, et nobis quoddam incomprehensibile nescire *(eñ si is Gode een ledich weselic weten ende ons een onbegripelic niet weten)* ». « Imagineris igitur quasi V, 36, 37.
videre te immensam ignis molem, in qua cuncta conflagrarint ac penitus redacta sint in tranquillum, excandescentem, immobilem ignem. Sic est accipiendus tranquillus *essentialis amor (die ghestilde weselike minne)*,

(1) IV, 224, 226, ubi oppositio instituitur inter *ghebruken* et *werken*, eo modo quo V, 37, instituitur inter *werken* et *ledicheit*. Cfr. IV, 247 : *Eñ ware sijn wesen niet wiseloes, soe en ware daer gheen volcomen ghebruken, mer in den wiselosen wesene faliert dat werken der persone*.

(2) Sic explicatur IV, 106; V, 79.

(3) *Onberoerlijc*, V, 84.

(4) *Ewighe nu* « perpetuum nunc », VI, 186, 188.

qui est fruitio Dei et omnium sanctorum supra omnes
IV, 105, 106. modos... »

Consequenter ad illam distinctionem, duplicem in Deo unitatem asserit R. : unitatem fruitivæ beatitudinis *(ghebrukelike enicheit)*, et unitatem naturæ; in hac « non est duratio, nam unitas hæc est fecunda, et fundus personarum, et ideo hæc est supremum modorum et infra nonmodum *(onwisen)*. Et non est fruitiva beatitudo Dei in hoc modo, nam illa unitas jacet in fecunditate naturæ, et ideo non est ibi fruitiva duratio; sed fruitiva beatitudo Dei jacet in nonmodo et immersione personarum, secundum personalem proprietatem, in
IV, 208, 209. esse Dei sine modo. »

Illæ contemplationes ad hoc ultimatim reducuntur ut Deus tum fruens, tum agens, tum præcipue simul et agens et fruens (1), vitæ tum contemplativæ, tum activæ, tum præcipue mixtæ, typus exhibeatur. — Ulterius autem in vita sanctæ Trinitatis, similitudinem invenit auctor ad exponendas duplicis infimæ vitæ mysticæ notas : « Præclara (Patris) natura... est fecunda ; ideo non potest se continere in unitate paternitatis propter attactum fecunditatis, quin sine intermissione generet æternam Sapientiam, hoc est, Filium Patris... ». Ex utroque autem procedit « amor, hoc est, Spiritus Sanctus, et est vinculum Patris ad Filium et Filii ad Patrem; et illorum amor personas circumplectitur, et personæ refluunt in unitatem ex qua Pater sine intermissione generat... Illud *generare* (effluere), illudque *refluere in unitatem*, hoc est actio Trinitatis.....; ex

(1) Cfr. præsertim VI, 257-60; IV, 224 : *die persone werken in wisen na der persoenlicheit, en̄ si ghebruken in onwisen na der weselicheit.*



unitate est illa generatio et ille refluxus personarum
in fame amoris et in magno desiderio ». Sic, « in rela- IV, 207, 208.
tionibus personarum, est mutuo cognoscere et amare, effluere et refluere inter Patrem et Filium per Spiritum
Sanctum qui amborum amor est ». — Illum tandem V, 85.
processum etiam in relationibus ad extra agnoscit auctor, Deum semper ut principium et finem considerans : « Deus est profluens et emanans, tanquam horridum mare, in omnes qui sui capaces sunt, et refluens
et attrahens in fero mari suæ unitatis. » IV, 193.

Proprietates divinæ eodem dividuntur modo : aliæ sunt effluentes (*uutvloeiende*), sc. veritas et amor, Filius et Spiritus Sanctus; aliæ sunt intrahentes (*intreckende*) sc. unitas (*naturæ*) intrahens tres personas in vinculis amoris; et *esse* divinum, « comprehendens unitatem in
otio cum fruitivo amplexu in amore essentiali. » Attributa I, 125 sqq.
autem ab auctore considerari solita sunt illa quæ attributis relativis respondent. Deus ab ipso exhibetur ut
Unum, Verum, Bonum. In illo præsertim elucere dicun- Cfr. I, 49 sqq. IV, 212.
tur tum potentia, quæ in creatione apparuit, tum sapientia, quæ in ordinatione manifestata est, tum præcipue
bonitas quæ in effusione bonorum jugiter ostenditur (1) : IV, 127.
« Dei enim natura est, ut semper cum omnibus suis
donis effluat, in tempore et in æternitate. » IV, 156.

## ARTICULUS II.

### DE CREATURIS, EARUMQUE AD DEUM RELATIONIBUS.

R. aperte *dualismum* profitetur : « Omne quod est,
est Deus vel creatura (*al dat is, dat is God ofte creature*) ». V, 63.

(1) Cfr. I, 269, 270, ubi exponuntur, sumpta similitudine ex miraculo Pentecostes.

V, 82, etc. Deus universum terrarum orbem in tempore *ex nihilo*
*(van nieute)* creavit, ipsique soli hæc competit potestas,
V, 78. quum ipse solus, utpote Ens absolutum, « superesse
omnium entium », « esse entium et vita vitarum (*wesene*
*der wesene eñ levene der levene*), principium et susten-
IV, 142. taculum omnium creaturarum », in *esse* creaturarum
Cfr. ib. agere possit. Licet autem creatio, ut opus *ad extra*,
Cfr. supra. totam Trinitatem singulari communique actione agentem
causam habeat, peculiariter tamen, *per appropriationem*,
III, 138; V, 53. illius causa efficiens dicitur Pater, causa perficiens Spi-
IV, 18. ritus Sanctus, causa ordinans et *exemplaris* Filius, æterna
Cfr. IV, 52, *et passim*. Patris Sapientia. Distinguit enim R. eorum, quæ facta
sunt, existentiam intelligibilem, æternam, in Deo, et
existentiam realem, in tempore, in seipsis : « Imago Dei
est Ipsius Filius, æterna Ipsius Sapientia, in quo vivunt
JOANN., I, 3 et 4. omnia, secundum Joannem : *quod factum est, in ipso*
*vita erat*, et hæc vita nihil aliud est quam imago Dei, in
qua Deus ab æterno cognovit omnia, et est etiam causa
III, 165; cfr. IV, 232. creaturarum omnium »; « in illa æterna imagine, omnes
creaturæ habent æternam vitam, sine seipsis (*sonder hem*
VI, 188. *selven*), sicut in suo æterno *exemplari* (1) ». — Causa im-
pellens Deum ad omnia, præsertim vero entia rationalia
VI, 11. creanda, Ipsius infinita fuit bonitas : liberrimo tamen
V, 82, *et passim*. decreto Deus ea creavit, tum « ad suam laudem suumque
IV, 192. honorem » (*finis primarius*), tum « ut suas divitias creaturæ
rationali revelaret, quæ eas in tempore saperet, iisque
VI, 11. in æternitate frueretur » (*finis secundarius*).

Universæ creaturæ, quemadmodum *a* Deo creatore,
VI, 110. ita et *in* Deo conservatore pendent; Deus enim omnes

(1) Hæ speculationes apud R. relate ad hominem præcipue occurrunt, ideoque de iis fusior habebitur sermo, ubi de homine agemus.



res per illapsum suæ præsentiæ (1) conservat, eæque,
« si a Deo secundum hunc modum separarentur, in
nihilum caderent et ad nihilum redigerentur ». — *Esse* VI, 55.
autem in creaturis gradu nobiliori vel minus nobili repe-
ritur, quo propinquius vel remotius adumbrant et imi-
tantur *esse* divinum; hinc, hominibus angeli, rebus
materialibus homines præcellunt. — Quæ juxta diversos Cfr. VI, 110.
perfectionis gradus paucis expendamus.

## § 1. *De Universo Materiali.*

« In principio mundi, fecit Deus cœlum et terram, ut
nobis servirent, ut nos eis uteremur ad Deo serviendum;
fecit ea juxta figuram suam (*na sine figure*) ». Hinc uni- V, 82.
versum « est sensibile externum regnum Dei, vestigium
et crassa similitudo Ipsius » — Mundi constitutiva ex IV, 135.
professo R. evolvit, tum in libro *Regni amorosorum*, ut
ostendat « viam sensibilem, materialem, hominis ad IV, 135-138.
Deum », tum in libro de *duodecim beghinis*, ut naturam V, 82 sqq.
Dei explicet. — Quæ systematice sic exponuntur :

A) *Elementa*, ex quibus omnia, quæ sub cœlo sunt, constituuntur : 1° Terra. 2° Aqua. 3° Aer. 4° Ignis.

B) *Cœli :* 1° *Infimum cœlum*, firmamentum, quod est
elementorum ornatus; mediat, juxta s. scripturæ verba, GEN., I, 6.
inter aquas quæ sub cœlo sunt, et aquas cœlo supe-
riores, i. e. cœlum cristallinum. Per potentiam ange-
lorum movetur, et per cursum suum, omnium creatu- Cfr. IV, 214.
rarum motum, vitam et augmentum procurat. Ornatur
tum stellis fixis, tum planetis : stellæ fixæ firmamenti

(1) V, 83 : *Hi is in al die werelt eñ in allen creaturen*; 146 : *God die in alle ghescapene wesen leeft.*

cursum sequuntur, et, ut ipsum firmamentum, translucidæ sunt; planetæ econtra, per *primum mobile* motæ, peculiarem cursum habent, nec translucidæ sunt, sed lumen solis accipiunt et reflectunt. Hæ totam naturam materialem regunt, complexiones varias in hominibus sub suo influxu natis producunt, at, in spirituali hominum regeneratione, in voluntatem, in spiritum, nullum influxum habent. Sunt numero septem, hoc ordine dispositæ : Sol (nam juxta R. et coævos ejus, terra medium universi locum occupabat), qui octies terra major est, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, Saturnus (1). — Signa Zodiaci (2), quatuorque anni tempestates (3) sæpius etiam R. mystice interpretatur.

2° *Medium cœlum*, cristallinum, translucidum, seu aquosum, iis nominibus propter suum splendorem insignitum. — Illius cœli suprema pars est *Primum Mobile* (*die ierste beroeringhe*), origo et principium totius motus in cœlis et elementis; regit ipsum cœli cursum omnesque materiales creaturas, nullam autem in rationali creatura actionem exercet.

3° *Cœlum supremum*, immobile, pura et simplex claritas, omnia creata sicut in sphæra comprehendens, omnibus rebus materialibus, quæ tum in cœlo, tum in terra sunt, superius, in quo Deus peculiari modo cum omnibus sanctis suis residet.

---

In fine mundi, Deus omnia elementa, sive in pœnam,

(1) V, 92, 103, 106-113, 196-199, ubi indoles hominis in diversos complexionum modos pro influxu planetarum distinguitur; IV, 215-218, ubi juxta septem planetas exponitur vita mystica.
(2) V, 113. Cfr. lib. II *de orn. spir. nupt.*
(3) V, 127. Cfr. *ib.*



sive in præmium, renovabit et igne purgabit; natura vero superior, utpote longe a terra remota, purgatione non indiget. Quum autem duplicem in finem cœli sint creati, nempe ut per cursum suum naturam regant, et per splendorem suum mundi pulchritudinem ostendant, altera causa cessante, immobiles fient, altera vero magis urgente, clariores evadent. Quod est « secundum exter- IV, 253-254.
num sensibile Dei regnum ».

## § 2. *De Homine.*

Hujus adspectabilis rerum universitatis, hujus « sensibilis regni Dei » homo constitutus est dominus. — IV, 135.
Homo duplici parte constat : « Dedit nobis Deus, secundum corpus, vitam mortalem ad instar animalium,... et, secundum animam, vitam æternam (*ewich*), ad instar angelorum »; « fecit nos sensibiles, mortales homines, V, 78.
in carne et sanguine, et nostram animam viventem mortali vestivit corpore, ex patre et matre genito. » V, 81.
Addit sæpe R. tertiam partem, spiritum (*gheest*), ab anima (*siel*) distinctam quidem, sed, ut videbimus, solum secundum mentis considerationem. — « Initio mundi... Deus primum hominem formavit ex limo terræ et inspiravit ei (*hi storte in hem*, litt. *fudit in eum*) spiritum viventem, et ex illo homine omnes secundum corpus orti sumus; quomodo autem Deus animam creet et faciat, hoc Ipsius scientiæ et veritati committimus (*dat bevelen wi sinen wetenen en̄ sijnre waerheit*) »; alibi V, 53.
« animam ex nihilo creatam esse » R. aperte profitetur. IV, 231.
More Mysticorum, luctam existentem inter « animam et corpus, spiritum et carnem », « duas illas *naturas* quæ IV, 7.

V, 78, 175. sibi invicem sunt contrariæ » sæpe evolvit. — Corpus quatuor elementis compactum est (1); per se, non habet opera perfecta, sed est instrumentum animæ totamque suam nobilitatem ex ea haurit. Anima autem, per se,
I, 95. opera perfecta habet, sc. cognoscere et amare. Sic autem
VI, 56, 249. uniuntur, ut anima sit corporis forma, ut ex utroque exsurgat una persona, unus homo. Anima est tota in toto corpore, et in omnibus membris et in unoquoque
III, 161. membro, semper integra, indivisa, et sine loco (*sonder stat*); hinc, *communis* (*ghemeyn*) in omnibus viribus suis, non potest distingui vel dividi nisi secundum
VI, 110. rationem (*na redene*).

Porro, sæpe R. distinguit inter *esse* animæ, ipsiusque
IV, 169. VI, 143. vires (*wesen eñ craften*), necnon inter diversas animæ vires; divisio autem potentiarum animæ, illi perquam familiaris, quæque in omnibus fere illius operibus recurrit, ex professo traditur in libro *Regni amorosorum*,
IV, 138-143. ubi « viam naturalis luminis (per virtutes naturales) ad Deum », correlative ad « viam sensibilem » superius indicatam, auctor exponit. Distinguuntur itaque :

A) *Vires inferiores* (*nederste crachten*), quæ ad actionem externam ordinantur, ideoque virtutibus moralibus, ad vitam activam pertinentibus, ornandæ sunt : 1° *Vis irascibilis* (*tornighe crachte*), quæ infima est, quia homi-
IV, 176. nem oppressit in humilitate et obedientia. — 2° *Vis concupiscibilis* (*begeerlike cracht*). — Hæ duæ vires, si virtutibus non sint ornatæ, sunt bestiales (*beestelike*);
IV, 173. prout virtutibus ornantur, ad voluntatem pertinent. — 3° *Vis rationalis* (*redelike cracht, redelicheit*). Pertinet

(1) IV, 139. V, 78. Notiones physiologicas suo tempore admissas R. passim exponit, præsertim in libro *de Tabernaculo*, II, 28 sqq.



ipsa ad intellectum (1); at, prout *discretione* ornata, omnes virtutes morales ordinare debet, in inferioribus Cfr. I, 23, 24.
animæ viribus est collocanda. — 4° *Libertas voluntatis* (*vriheit des willen*). Est attributum voluntatis, facultatis superioris; ast heic non consideratur voluntas ut vis amativa, sed ut vis exteriorativa. — Porro liberum arbi- Cfr. V, 92.
trium est primum et pretiosissimum quod sit in homine. I, 12.

Si autem, præter hanc divisionem ex præsupposito scopo excogitatam, virium inferiorum nomine *vires sensibiles* (*ghevoellike crachten*), intelligantur, quinque sen- VI, 65.
sus externos et quinque internos R. agnoscit; imo I, 94. Cfr. IV, 239. V, 137.
eorum objectum ipse assignat : « sub firmamento, possumus videre et percipere per sensus externos (*metten sinnen van buten*); supra firmamentum possumus imaginari et speculari per sensus internos (*metten sinnen van binnen*) et rationalem considerationem. Sed, ubi desinunt corporales cœli, ibi desinit etiam imaginatio et quivis sensus, externus et internus; nam ubi desinit corporalitas, ibi etiam deficit sensus, ideoque nec Deum, nec angelum, nec animam potest ullus sensus apprehendere, quia sunt sine specie (*want dat is sonder ghedaente*) ». Discrimen intellectum inter et imaginatio- IV, 138.
nem existens statuit : in visionibus, « si corporales imagines (*beelden*) infundantur, homo eas in imaginatione accipit;... si autem intellectualis veritas vel spirituales sint similitudines (*gheliken*), in quibus Deus se immen-
sum ostendit, eas in intellectu suscipit ». Tantam imagi- VI, 82.
nationis vim agnoscit, ut per illam homini apparere possit « seipsum vulnera Christi et læsuram in corde et
in omnibus membris sentire »; hinc, per illam multi VI, 124.

(1) IV, 141 : *metter redeliker cracht dies verstandenitsen*. Cfr. IV, 173.

homines in via sanctitatis decipiuntur, non veritatem,
VI, 171. sed suum desiderium suamque concupiscentiam sequentes. Qui in recto ordine seipsum continere vult, hominem sensibilem externum homini rationali interno
IV, 88. subjicere debet, ita ut in omnibus sensus rationi obediant.

B) *Vires superiores* (*overste crachten*), quæ, a multiplicitate actionum externarum liberæ, in quadam recollectione sese continent, ideoque vitæ intimæ exercitiis præcipue vacant. Dum vires sensibiles anima rationalis
V, 138. ***sub se*** cogit, has potentias ***in seipsa*** complectitur. — Illæ potentiæ sunt :

1° *Memoria* (*memorie*, *ghedachte*, *ghedachtenisse*). Hoc
I, 98. Cfr. 105. nomine aliquando memoria sensibilis intelligi videtur; hic autem, quum de potentiis superioribus agatur, alta intelligitur memoria (*die hoghe ghedachte*), quæ suprema
VI, 104. est inter animæ facultates; quæ naturalem quamdam
IV, 140, 141. inclinationem et propensionem habet ad simplicem mentis fundum; quæ ipsa fundum animi constituit, cum
IV, 201. VI, 156. *esse* animæ sæpius confunditur, eodemque nomine ac
IV, 141, 222, 223, etc. mens ipsa designatur (*ghedachte*). Ipsa veritatem habi-
IV, 143. tualiter retinet, et donorum supernaturalium habitus recipit; sub hoc quoque respectu, confundi videtur cum
VI, 152, 154. intellectu possibili vel potentiali (*moghenlike verstane*).

2° *Intellectus* (*verstaen*, *verstennisse*). Est lumen quoddam spirituale, nobis a Deo præstitum, « in quo, supra actiones et sine actionibus sensuum, per nostram rationalitatem, bonum et malum, mendacium ac veritatem cognoscere possumus; et in hoc incipit primum orna-
I, 46. mentum naturæ rationalis ». — *Intellectus* apprehendit (*begripen*) et supra imagines quodammodo elevari potest; *ratio* considerat (*merken*), et ex rebus materialibus
I, 114-115. Cfr. I, 88. IV, 205, 240 sqq. imagines spirituales efformat; ideoque prior dono intel-



lectus, altera dono scientiæ supernaturaliter illuminantur.

3° *Voluntas* (*wille, minnende cracht*). Quemadmodum IV, 131 *et pass.*
intelligentia est lumen quoddam spirituale, sic voluntas est ignis quidam a Deo in nobis accensus. Voluntas I, 49.
intellectum naturaliter sequitur ab eoque dependet; nec I, 50, 52. Cfr. I, 4.
ambæ facultates separari possunt. In seipsa, voluntas non est aliud quam essentialis (*weselike*) amor et libertas; I, 73.
in eam nemo vim habet nisi nos ipsi et Deus. V, 88.

Quæ tres potentiæ mutuam inter se relationem habent; si relate ad vitam virtuosam considerentur, triplici ratione omnes virtutum modos possident, sc. ***heblec***, ***wijslec*** et I, 79.
***minlec*** : « Memoria veritatem et omnes virtutes cum inspectione in intelligentia possidet; nam in hac omnes modi virtutum discuntur. Et intellectus, iterum ad memoriam applicatus, eamdem veritatem cum omnibus virtutibus cum inspectione in memoria possidet, nam in hac omnes virtutum modi possidentur et conservantur... Tertia autem facultas, sc. potentia amativa, omnes virtutum modos amore transformat (*overformet*) et ornat ». I, 77, sqq.
— Hæc triplex animæ facultas trinitati personarum in Deo respondet, Patri memoria, Filio intellectus, Spiritui Sancto voluntas, ideoque propter appropriationem singulis personis diversæ in diversas animæ potentias operationes tribuuntur. IV, 102 *et pass.*

C) *Esse* animæ (*wesen der sielen*) « quod pendet in Deo, et est *immobile* (*ombeweghelijc*), et supremo cœlo altius, et fundo maris profundius, et toto mundo omnibusque elementis latius; nam ***spiritualis natura omnem corporalem naturam superat***. Illud est naturale

regnum Dei, et finis omnis operationis animæ » (1). — Tres habet proprietates, quæ unum sunt in natura
III, 167 sqq. (*III eyghenscape, die een sijn inder naturen*) : 1° *Indepicta* (*imaginum expers*) *essentialis nuditas* (*onghebeelde weselike bloetheit*), qua Patri, ejusque divinæ naturæ similes ac uniti sumus. 2° *Ratio superior animæ* (*overste redene der sielen*), i. e. specularis quædam claritas, in qua Filium Dei, æternam veritatem, recipimus. 3° *Scintilla animæ, synteresis* (*vonke der sielen*), i. e. naturalis animæ propensio in suam originem, in qua Spiritum Sanctum, Dei amorem, recipimus ; « nam homo naturalem fundamentalem animi ad Deum propensionem habet per scintillam animæ et supremam rationem, semper
VI, 8. Cfr. VI, 153. IV, 203, 204. bonum appetentem et malum detestantem. » — « Hæ tres proprietates sunt una indivisa animæ substantia,
IV, 68. vitalis fundus, et origo (*eyghendom*) virium supremarum. »

---

Cum hac tripartita divisione virium animæ conveniunt quæ sæpius in operibus R. occurrunt, tum de triplici vita (2), tum de triplici *sentire* (3), tum de triplici unitate, quæ in homine inveniuntur; « notandum est enim in quolibet homine naturaliter, et in quolibet homine
VI, 55. bono supernaturaliter, triplicem esse unionem sive unitatem. » Potest nempe considerari anima hominis tum prout est in se, tum ut principium operationis; iterumque, sub hoc posteriori respectu, ratione ipsarum ope-

(1) IV, 142, ubi hæc datur explicatio : *Boven die redelike creature en heeft ghene ghescapen creature macht noch oec dat ierste beroeringhe.*

(2) IV, 96 : *Leven lijflijc eñ ghevoellijc; gheestelic eñ redelic; godlic.*

(3) I, 137 sqq. Cfr. I, 95, VI, 257 : *gevulen sinlec, redelec eñ godlec.*



rationum, subdistinguitur anima a spiritu. Hinc, triplex recensetur unitas :

A) *Unitas infima*, est « fundus corporalium virium in cordis unitate, principii et originis corporalis vitæ. Hanc unionem possidet anima in corpore et in vivacitate cordis, et ex ea fluunt corporalia opera et quinque sensus; exinde anima *anima* dicitur; nam est corporis forma, et animat corpus, h. e., illud vivens facit, vivens- VI, 56-57. Cfr. I, 29.
que conservat. » — Hac in unitate, homo *sensibilis* et *bestialis* est.

B) *Media unitas*, « est unitas supremarum virium, ubi suam naturalem originem activo modo capiunt in unitate spiritus vel mentis... Hanc unitatem possidemus in nobismetipsis supra sensualitatem. Ex hac procedit Memoria, Intellectus, et Voluntas, et omnis spiritualium operum potestas. In hac unitate, anima vocatur *spiritus* ». VI, 56. Cfr. V, 69, 137.
« Hæc unitas est principium et finis omnis actionis creaturalis, quæ creaturali modo fit, sive naturalis, sive supernaturalis. Attamen unitas non operatur in quantum unitas est, sed omnes vires animæ, utcumque operentur, omnem potentiam virtutemque suam habent in suo fundo, h. e. in unitate spiritus, secundum quam in suo perso- VI, 139, 140.
nali esse subsistit. » — Secundum hanc, homo est *rationalis* et *spiritualis*.

C) *Suprema unitas*, est « unitas hominis in Deo; quia non solum homo, sed omnes creaturæ pendent in illa unitate secundum esse, vivere, et conservari... Illa unitas est essentialiter in nobis ex natura, sive boni, sive mali simus; et non facit nos, sine nostra cooperatione, sanctos nec beatos. Illam unitatem possidemus in nobis et supra nos, sicut principium et sustentaculum nostri esse et nostræ vitæ. » Est eadem unitas ac VI, 55, 56. Cfr. I, 138.

secunda, siquidem spiritus in unaquaque unitate totus est, secundum totalitatem suæ substantiæ; at ibi active (*werkelic*), hic essentialiter (*weselic*) accipitur. — In hac unitate, homo essentialiter conservatur (*we tmen onthouden weselic*). « Est spirituale regnum animæ, quod
VI, 127. Deus possidet, et unde movet unitatem activam ».

Hæc unitas ulterius sequenti modo evolvitur : « Spiritus, secundum essentialem existentiam, adventum Dei in nuda natura (*in bloter naturen*) sine medio et intermissione (*sonder onderlaet*) suscipit. Nam esse et vita, quæ sumus in Deo, in nostra æterna imagine, illaque, quæ in nobis ipsis habemus secundum essentialem existentiam (*na weseliken sine*) sunt sine medio et inseparata; et ideo, spiritus, secundum suam intimissimam et altissimam partem, in nuda natura, recipit impressionem suæ æternæ imaginis et divinæ claritatis, et est una æterna inhabitatio Dei quam Deus possidet per æternum inesse, et quam per novum adventum et novam insplendentiam novæ claritatis æternæ generationis visitat. Nam, ubi venit, ibi est, et ubi est, ibi venit; et ubi nunquam fuit, ibi nunquam venit; quia in eo non est accidens nec mutabilitas. Et omne illud in quo est, hoc est in illo, nam non exit extra seipsum. *Et ideo* possidet spiritus Deum essentialiter in nuda natura, et Deus spiritum; nam vivit in Deo et Deus in eo... Hæc est nobilitas quam ex natura habemus in essentiali nostri spiritus unione, ubi naturaliter Deo unitus est. Hæc non facit nos sanctos nec beatos; nam omnes homines eam in se
VI, 137-139. habent, sive boni, sive mali sint; sed est vere prima causa omnis sanctitatis et beatitudinis. »

Duplex autem illa unitas : *essentialis*, et *activa*, præ-
Vid. V, 200. VI, 2 etc. cipue explicatur in relatione ad verba creationis : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ». GEN. I, 26



Imagini, unio essentialis respondet; similitudinem, spiritus per operationes acquirit : « Imago Dei est æterna Sapientia, Filius Dei; in hac imagine, vitam vitalem, vitam æternam habemus ante nostram creationem. Hæc vita ab æterno manet in Patre cum Filio, et cum Filio ex Patre effluit et generatur, et in eamdem naturam per Spiritum Sanctum reflectitur. Pater ab æterno illam cognoscit in Filio, et amat in Spiritu Sancto. Ex illa vita, non de illa (*uut dien levene... maer niet van dien leven*) Deus nos creavit, non de sua substantia, sed ex nihilo; hinc nostra creata vita pendet in illa æterna vita tanquam in sua causa, quæ ipsi naturaliter propria est ». III, 207 sqq.
« Ad illam imaginem æternam nos omnes conditi sumus; nam, secundum nobilissimam nostræ animæ partem, i. e. fundum supremarum nostrarum virium, facti sumus ceu vivens æternum speculum Dei, in quo Deus suam æternam imaginem impressit, quodque nullam aliam imaginem recipere potest... Hæc imago in cunctis hominibus essentialiter et personaliter inest, et unusquisque totaliter eam integram et indivisam habet; nec tamen simul omnes homines plus inde, quam unus aliquis, habent. Atque hac ratione omnes nos unum sumus, uniti in æterna imagine nostra, quæ Dei imago est, et nostrum omnium, nostræ vitæ et nostri fieri origo, in qua creatum esse nostrum et vita nostra sine medio (secundum essentiam, non secundum actionem, ideoque Cfr IV, 222. sine medio) tanquam in causa sua æterna pendet Attamen nostra creaturalitas non fit Deus, nec imago Dei fit creatura; nam creati sumus ad imaginem Dei, i. e. ad imaginem Dei recipiendam; ipsa autem imago est increata, æterna, Filius Dei ». — « Illam igitur imaginem III, 165 sqq.

habemus omnes, tanquam vitam quamdam æternam, sine
nobis ipsis, ante nostram creationem (*als een ewich
leven, sonder ons selven, voir onse geschapenheit*); post-
quam autem creati sumus, eadem ipsa imago est super-
esse nostri esse, et æterna vita (*overwesen ons wesens*
III, 167. *ende ewich leven*) ». Illius æternæ imaginis proprieta-
tes homo participat, sicque illius fit speculum : « nam
supremum nostræ animæ est nudum et indepictum,
videns, et in suam originem inclinatum (*bloet eñ onghe-*
Ib. *beelt, siende, en neyghende in sijn beghin*, vel, *wesende,*
III, 207. *siende eñ neyghende inden oerspronc onser geschapen-
heit*) ». Illam imaginem homo active non possidet : « nam
nemo possidet naturam divinam active secundum modum
divinum, nisi personæ divinæ, quum nulla creatura
IV, 232. agere possit modo infinito : secus esset Deus et non
creatura »; similitudinem autem divinam active gerimus,
quum per actiones nostras animam nostram ut quod-
dam Dei regnum ordinamus.—Triplicem similitudinem in
homine possibilem optime evolvit R. in libro *Regni
amorosorum* : similitudinem naturalem, per virtutes
naturales sine impulsu Spiritus Sancti exercitas, acqui-
sitam; similitudinem gratiæ, virtutibus supernaturalibus
ornatam; tandem, similitudinem gloriæ, præcedenti
IV, 209-215. adhuc nobiliorem.

Totam de unione essentiali doctrinam hæc sententia
breviter complectitur : « Nostrum esse creatum pendet
in esse æterno, et est unum cum eo secundum essen-
tialem existentiam (*onse ghescapen wesen hanct in dat*
VI, 188. *ewighe wesen, eñ het es één met hem na weseliken
sine*) ». Hæc locutio : *pendere in*, a R. sæpe adhibetur,
tum sensu litterali, de diversis Tabernaculi partibus
[illegible] quæ in cornibus vel in annulis pendebant, et sensu



metaphorico, de rebus juxta has partes explicatis; tum I, 32, 33, 35, 125, 130, 131, 132, 138, 231, 232.
sensu metaphorico, allusione facta ad textum S. Matth.
XXII, 40 : « In his duobus pendent universa lex et
prophetæ (*daer inne hanct alle die wet eñ die propheten*)»; II, 142.
ita ut sensum refundat : *sustentaculum* ac proinde *fun-
damentum habere* (1), quo sensu ab aliis auctoribus, v. g.
ab auctore *Imitationis*, nonnumquam assumitur : « Jus-
torum propositum in gratia Dei potius quam in propria
sapientia pendet (2). » Hanc locutionem relationibus
tum inter Deum et mundum, tum præcipue inter Deum
et hominem existentibus R. applicat :

| Deus ipsi est | Quod huic sententiæ comparandum est : |
|---|---|
| « Causa in qua omnes creaturæ pendent, et e qua effluxerunt. | « Deus est thesaurus e quo omnes creaturæ effluxerunt et in quo tamen essentialiter permanserunt. IV, 141. IV, 241. |
| (*Ene sake es daer alle creaturen in hanghen eñ ute ghevloten sijn*); » | (*Een rijcdom, daer alle creaturen uut ghevloten sijn, eñ weselic in bleven sijn*); » |

etenim, « beneplacito Dei pendent (*aen hanghen*) cœlum VI, 258. Cfr. IV, 137.
et terra »; « non solum per Eum omnia facta sunt, sed VI, 110. Cfr. III, 198; V, 52.
etiam in Eo pendent universa »; « omnia pendent in
unitate essentiali cum Deo secundum esse, vivere, et VI, 55, 56.
conservari ». His omnibus in locis, nobis R. docere
videtur Deum non solum, per creationem, rerum univer-
sitatis auctorem esse, sed etiam, propter suam immen-
sitatem, « omnia continere », in rebus illabi, earumque
intimis commorari, ita ut, per sui illapsum, rerum naturas

(1) Cfr. I, 132 : *Rike in haren gronde, daer si hanget in die rijcheit des heylegen Gheests.*

(2) *Imit.*, lib. I, c. 19, v. 2. Cfr. I, 130 : *In die gaven Goods soe hanghen alle onse doghede eñ alle onse werken die goet sijn; ib.*, 142.

conservet ne decidant in non esse; Illum tandem omnium rerum esse « fundamentum », « sustentaculum », vel, ut loquitur Chrysosthomus, « hypostasim ». Licet autem ubique totus sit Deus per præsentiam, non tamen in singulis æqualiter est per potentiam, sicque peculiari quodam modo creaturæ rationali inest, quam inter omnia creata, imagine sua insignivit; per hanc imaginem assimilatur homo Trinitati personarum, et participabilis est naturæ divinæ et beatitudinis illius (*potentia obedientialis*). Hinc, illud « pendere in Deo » a R. de homine
IV, 142. præsertim asseritur : « esse animæ pendet in esse Dei »
IV, 222. « sine medio, tanquam in sua causa »; « nostra vita
III, 210. creata pendet in æterna vita quam in Deo habemus, sicut in sua æterna causa ». Propter illam immanentiam, spiritus hominis et Deus, diversæ licet sint substantiæ, unum tamen quoddam efformare dicuntur; ex hac relatione, sequitur in homine « naturalis quædam propensio (essentialis, non activa, ideoque sine medio) animæ ad suum principium ... sicut ad suam propriam requiem (1) », quæ propensio non est ipsa sanctitas, sed fundamentum omnis sanctitatis utpote quæ hominem donorum supernaturalium capacem reddat.

Hæc autem omnia iterum a R. traduntur in ordine ad doctrinas mysticas explicandas; hæc unio, hæc inhæsio *naturalis* parallele exponitur ad inhæsionem *fruitivam* (2) quæ in vita contemplativa fit : in vita mystica, contra-
IV, 261. VI, 138. Cfr. distinguitur *overweselike inhangende scouwende leven* a

(1) IV, 210. Cfr. 222, 223; III, 166; hoc sensu derivato *unionis, inhæsionis*, ordine inverso R. *scintillam animæ* definit (IV, 204) : *Inhangen Gods in dat overste der sielen.*

(2) IV, 224 : *Natuerlic grondneyghen eñ ghebrukelic inhangen*. IV, 264 et VI, 246.



*uutvlietende werkende leven*. Quemadmodum unio naturalis *essentialis* est ideoque *sine medio*, ita unio supernaturalis *per fruitivum amorem, in nonmodo, in superessentia nostra*, sine medio contingit (1).

---

Ulterius, quando in libro *Samuel*, R. triplicem unitatem seu unionem naturalem hominis cum Deo distinguit, hoc modo eum intelligendum esse putamus :

1° *Unio cum medio* nihil aliud est quam *similitudo* Dei quam per virtutes naturales adipiscitur homo.

2° *Unio sine medio* est unio quam homo, secundum esse suum personale creatum, habet cum Deo sua in anima commorante illamque sustentante.

3° *Unio sine differentia* illa est, quam secundum esse nostrum ideale possidemus in causa nostra exemplari, æterna Dei sapientia.

## § 3. *De Angelis.*

Initio temporis, Deus angelos creavit, ut et ipsi divinæ bonitatis divitias in tempore et æternitate saperent. VI, 11.
Angeli sunt puri spiritus, natura quidem homini supe- IV, 148.
riores, ex officio tamen illi inservientes; sunt ministri Dei, qui in vita spirituali hominem adjuvare debent, qui hominem « per suum lumen illuminare, illique imagines et similitudines infundere possunt ». — R. novem choros IV, 175.
angelorum distinguit, ordine dignitatis et potestatis alios

(1) IV, 134, 211, 227, 229, 239, 240, 249, 250, 251. VI, 184, 267 (*aen hanghen*). Typum vitæ contemplativæ in Deo ponens, etiam dicit R. : *ghebrukelic inhangen der personen in dat eenvoldighe wesen Gods*, IV, 226, 233.

aliis præeminentes, eosque rursus in tres hierarchias partitur. Juxta has divisiones vitam mysticam exponit in
IV, 25-34, 157-250. tractatu *de septem gradibus* et in libro *Regni amorosorum*.

A) Infima hierarchia complectitur : 1° Angelos (*Gods boden*); 2° Archangelos (*Ertsche inghelen*); 3° Virtutes (*Doechde ofte crachten*); qui hominem in viis virtutis dirigunt.

B) Media hierarchia complectitur : 1° Potestates (*Potestaten, Machtighe*); 2° Principatus (*Princen*); 3° Dominationes (*Heerscape*); qui nobiscum contra diabolum, mundum et vitium pugnant.

C) Suprema hierarchia complectitur : 1° Thronos; 2° Cherubim; 3° Seraphim; qui, supra pugnam, cum Deo in æterna pace et fruitione vivunt.

## ARTICULUS III.

### DE ORDINE SUPERNATURALI.

Quum, initio mundi, Deus angelos « nobiles illos spiritus » crearet, eis gratiam dedit et facultatem qua se ad Deum convertere, Ipsiusque regnum æternum possidere possent. Alii quidem Deo in humilitate, laude et honore servierunt; alii vero ad seipsos a Deo aversi et in propria nobilitate complacentes, cum Deo regnare Illique similes esse præ superbia contenderunt. Consequenter autem, alii beati facti, et in suo statu in æternum confirmati (*gheewicht eñ ghestadicht*); alii econtra ab
IV, 127 129; V, 99, 104, 142-143, etc. altissimo cœlo in ima projecti sunt tartara, eorumque peccatum æternum factum est (*gheewicht*).

Porro naturam humanam creavit Deus et gratiis ornavit, ut locum illum a quo mali angeli per peccatum lapsi



erant, ipsa virtutibus mereretur. Adamum et Evam in IV, 129.
paradiso terrestri, in loco terræ pulcherrimo, amænissimo collocavit; illis omnes creaturas subjecit, impassibilitatem tribuit, omnigena tandem contulit beneficia. Unum IV, 256.
tantum illis mandatum fecit, per cujus observantiam mereri possent, ut in gratia confirmati, nullum peccatum amplius admitterent. — Sed astutus inimicus diabolus homini sic constituto invidens, falso suo consilio decepit mulierem, amboque virum in peccatum adduxerunt; in his autem duobus constabat tota natura humana. Hinc, VI, 2.
a pristino suo libertatis statu dejectus, Adam detrusus est in « exilium », in « carcerem » hujus terræ, simulque cum eo in miseriam lapsi sunt omnes qui ex eo secundum naturæ cursum (*na lope der naturen*) oriundi erant. Ex eo tempore, omnes homines nascuntur « inimici Dei », « filii inobedientiæ ». « Licet Deus animam nostram puram et immaculatam creaverit, in unione tamen cum carne, peccato originali fœdatur », adeo ut cum propheta dicere possimus : « In peccatis concepit me mater mea ». — Quamvis autem in omnes generationes Ps. L, 7.
pessima illa hereditas transmittenda sit, protoparentum tamen peccatum non æternum factum est, ut peccatum angelorum; illo hominis naturalia non sunt deleta, quum naturalem « nobilitatem » et « libertatem » suam homo servaverit, et tum amandi et faciendi boni, tum odiendi et vitandi mali facultatem retinuerit. Ex hac tamen in peccatis generatione, oritur in homine pugna, quum caro continuo concupiscat adversus spiritum, Cfr. supra: IV, 7-8; V, 66, 99, 104, 144.
hujusque facta sit inimica.

Hanc de peccato originali doctrinam in illum præcipue finem exponit R., ut munus Christi, ipsiusque redemptionis beneficium in aperto ponat. Naturam hu-

manam, per peccatum lapsam, Christus ad pristinum IV, 130. libertatis statum *reduxit;* illam, quæ sponsa Christi creata erat, iterum sibi desponsavit; illam, quam initio Ib.; VI, 1-2. mundi Deus puram fecerat et creaverat, Christus *refecit* et *recreavit.*

Hinc, non tantum Christum ut exemplar nobis proponit, sed etiam ut Redemptorem, ut nostræ sanctificationis auctorem præcipuum R. exhibet. — Quam de Christo doctrinam paucis expendamus.

## § 1. *De Christo.*

Libro primo *spiritualium nuptiarum*, distinguit R., sane *sermonis S. Bernardi de passione Domini (feria 4ª hebd. S.)* non immemor, triplicem in quocumque adventu Christi considerationem, sc. causam, modum et opus VI, 11. (*die sake eñ de waer omme, die wise van binnen, eñ die werke van buten*); juxta hanc divisionem, sensu quidem translatitio intellectam, totam R. Christologiam exponemus.

« *Causa* propter quam Deus homo factus est, Ipsius fuit incomprehensibilis amor et omnium hominum necessitas; nam per lapsum peccati originalis corrupti erant, Ibid. cfr. III, 170. ideoque (ex se) satisfacere non poterant ». Nullibi R., quod tamen Mysticis (1) solemne est, causam incarnationis alteram agnoscit, pulchritudinem sc. universi per Incarnationem Verbi ceu omnium Dei operum caput, completam et perfectam.

(1) Mysticis heterodoxis *necessitatem* connexionis inter creationem et incarnationem agnoscentibus; orthodoxis vero *factum* connexionis tantum asserentibus.



Incarnationis *modum* R. explicat juxta doctrinam ecclesiasticam articulo symboli contentam : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est;* « nam, inquit, allusione facta ad Athanasianum symbolum, quemadmodum anima et corpus simul unum hominem faciunt, ita Dei filius et Mariæ filius unus est III, 241; cfr. 20. Christus ». Duplicem naturam in una subsistentem persona profitetur : « Christus possidebat suum esse personale in duabus naturis; ab omni æternitate e Patre genitus est, ideoque Dei Filius et Deus verus est, et temporaliter quoque ex sua matre Maria natus est, unde filius hominis et verus est homo. Attamen quælibet in seipsa natura id omne permansit quod erat, nam divinitas fieri non poterat humanitas, nec humanitas in divinitatem mutari; sed uniebantur ambæ in divina Filii persona, et utralibet natura illius propria natura erat; vere enim Deus et homo est ». « Natura humana in I, 153. Christo super omnia elevata est, et unum (*een na sire persoenlicheit*) est cum Verbo æterno, quippe quod ipsius Cfr. VI, 12. hypostasis est et personalitas (*ende .j. metten eweghen Worde, want dat is hare onderstant ende hare persoenlecheit*) ». « Humanitas Christi non subsistit in seipsa (*die I. 147. menscheit O. H. J. C. en heeft geen bestaen op haer selven*), nam non est sua ipsius persona, sicut in cæteris hominibus fit, sed Filius Dei est illius hypostasis et forma (*die sone Gods is hare onderstant eñ .hare forme*) (1) ». — Hisce locutionibus unionem hypostaticam Cfr. etiam IV, 18; V, 75, 230; VI. 15. duarum naturarum indivise subsistentium sane docemur; in hoc autem, ex scopo polemico, ut crassum adversa-

(1) III, 223. Verbum non potest dici *forma* naturæ humanæ, sensu proprio; reductive tamen illa subsistentia ad aliquod genus causæ formalis revocatur, quia est per modum actus perficientis.

riorum suorum pantheismum refellat, R. præcipue insis-
tit, duas naturas esse impermixtas, inconfusas, nec ideo
tamen Nestorianum figmentum amplectitur : « illæ duæ
naturæ impermixtæ, in una divina persona uniuntur, quæ
III, 220; cfr. V, 54. est Jesus Christus Dominus noster ». Notandum autem
est tum terminos minus aptos, ut vidimus, nonnumquam
ab auctore seligi, tum etiam propter exigentiam explicatæ
figuræ, aliqua minus accurate proferri quæ juxta doctri-
nam parallelam explicari debent. Nullibi enim materia
dogmatice et ex professo tractatur, sed in libro præser-
tim *de Tabernaculo*, juxta diversas analogias, comparatione
I, 146-156. II, 47. sumpta ex candelabro aureo, ex pane sacrificii etc., ut
doctrinæ mysticæ fundamentum evolvitur. Hinc, *tres
modios* exponendo, triplicem in Eucharistiæ sacramento
naturam reperiri R. asserit : « corporalem, spiritualem et
divinam », quas cæterum sic explicat : « hoc est, anima
II, 135. et corpus, et divina persona », dum econtra, per *tunicam
inconsutilem* « naturam humanitatis et divinitatis Christi
V, 186. (*die nature sijnre godheit eñ sijnre menscheit*) » intelligit.
— Ipsam humanam naturam ab Adamo propagatam, quæ
maledicta erat, Verbum æternum assumpsit, ita ut « qui-
libet homo, sive bonus, sive malus, dicere possit :
VI, 12-13. Cfr. III, 120. Christus, Filius Dei, frater meus est ». Anima ejus ex
III, 220. nihilo creata est, sicut anima cæterorum hominum;
II, 156; VI, 3. Cfr. III, 241. corpus ejus « ex purissimo Beatæ Mariæ sanguine », ope-
ratione Spiritus Sancti, conceptum est. Aliquando R.,
sensu a nobis explicato, in humana Christi natura tripli-
I, 149-152. cem partem distinguit : corpus, animam, spiritum; cor-
V, 212; VI, 15. poris Christi pulchritudinem extollit. — Juxta duplicem
naturam, duplicem operationum seriem in Christo dis-
tinguit : ulterius autem, propter personæ unitatem,
VI, 13. actiones omnes a Christo positæ « a Deo factæ esse dici



possunt » (θεανδρικὴ ἐνέργεια). — Præter gratiam unio-
nis, per quam natura humana ad supremam nobilitatem
erecta est, « plenitudine sanctitatis et omnibus Dei donis »
Christus ornatus est, et insuper, per influxum meritorum
suorum, gratia capitis secundum suam humanitatem
donatus. Hoc sensu intelligenda est explicatio duorum
nominum in *lamina* S. Pontificis inscriptorum : « per
humilem humanam suam vitam, quæ omnibus donis et
omni sanctitate repleta erat, ipse unus est *sanctus Do-
mini;* quidquid enim sancti omnes habent, per sanctita-
tis illius merita habent; atque ita juxta humanitatem,
sanctus Domini est, et caput sanctorum omnium. Alterum
nomen *tetragramaton*, illius nomen est juxta divinitatem;
illudque nomen nobis probat illum esse ineffabilem, h. e.
propter esse sui infinitatem ». Duplicem actionum seriem I, 239. Cfr. III, 220; VI, 12.
juxta statum comprehensoris et viatoris R. iterum dis-
tinguit : *ende was volcomen toeghangere ende begripere.* I, 151.

*Opus* Verbi incarnati hisce verbis describitur : « scitis
nos omnes ex natura nasci filios iræ, et homicidas, et
invasores regni Dei, propter primum hominem qui Deo
inobediens fuit et gratiam perdidit, quam ad omnium
nostrum, ex ipso in humana natura oriundorum, indi-
gentiam (*behoefte*), acceperat. Cujus expiandi causa pec-
cati, misit nobis Pater Filium suum, et Filius nostram
accepit naturam, et Spiritus Sanctus Filii in nostra natura
nativitatem perfecit. Id autem abolendis nostris peccatis
neutiquam satis fuit : volebat enim Pater peccatum ulcisci
secundum justitiæ rigorem. Ideoque Filium suum Pater
pro peccatis nostris neci tradidit, et Filius ad mortem
usque illi fuit obediens, et Spiritus Sanctus opus illud in
caritate consummavit ». — Postquam enim Adam pecca- III, 170-171.
verat, Deus homini novum splendidiusque sui amoris

signum dedit : quum ex una parte peccatum secundum
justitiæ rigorem ulcisci, ex altera parte « omnes homines
VI, 6. Cfr. I, 41. salvare et neminem perdere » vellet, nobis dedit media-
torem (*ghetrouwe middelere*) qui simul et Deus, et homo,
frater noster, esset. Christus « nostrum onus portavit
IV[1], 23. *(die onsen last gedragen heeft)* », nostrum debitum juxta
justitiam solvit (*hi heeft die scout betaelt... hi heeft ons
gecocht*); contra inimicum nostrum dimicavit, vincula
nostræ captivitatis disrupit, mortem nostram morte sua
necavit et per sanguinem suum nos redemit (*hi heeft ons
IV, 130, 195; III, 169; V, 139; VI, 3. verlost*); ita, naturam nostram ad statum libertatis re-
duxit, adeo ut qui in Christo renascerentur essent liberi :
vere igitur mundi Salvator et Redemptor *(Behouder
V, 231. eñ Verlosser*) nominatur.

In hoc mediationis munere partes habet et B. Virgo
I, 252. Maria; illam ut Adami typum *a contrario* R. proponit,
utpote cujus Filius diaboli regnum everterit; ipsius
laudes ubique celebrat, illamque cum Filio suo ut totius
Cfr. præsertim III, 144 sqq. christianæ sanctitatis exemplar exhibet.

Cum hac Christi mediatione intime connectuntur quæ
a R. disseruntur de Christo, tum ut Ecclesiæ fundatore,
tum ut Summo novæ legis Sacerdote.

### § 2. *De Ecclesia.*

Redemptionis Christi beneficio non sunt exclusi ho-
mines qui ante Ejus adventum vixerunt; qui, per fidem
V, 99-102; 144. in Christum et veram suorum peccatorum contritionem,
salutem adipisci potuere. Distinguit nempe R. triplicem
legem, « quamcumque suis temporibus perfectam », sc.
II, 73. legem naturæ, legem sacrificiorum, legem evangelii;
legem autem sacrificiorum evacuavit lex Christi.



Nihil antiquius habet R. quam ut utramque illam
legem, utrumque Testamentum, alterum per Moysem
constitutum et sanguine taurorum consignatum, alterum
autem Christi sanguine, non vindictis sed gratiis manante,
sancitum, comparet et opponat. In libro *de Tabernaculo*, I, 7-11; 41 etc.
posteaquam quadruplicem arcam, Noe sc. et Moysis, Eccle- I, 3-4.
siam et animam fidelem, distinxit, Moysis tandem taber-
naculum cum Ecclesia catholica præcipue comparat, *Præs.* I, 145, sqq.
utriusque œconomiæ caracteres diversos exponendo;
qui omnes huc tandem reducuntur, ut cessante figura
per Vetus Testamentum expressa, apparuerit veritas in
Nova Lege contenta.

Ecclesiam R. ita definit : « sunt omnes boni (cre-
dentes) homines, cum Deo uniti, et in unum vocati unus-
quisque cum cæteris omnibus, per unam legem, unum
baptisma, cunctorumque concordi et consona charitate,
per similes actiones, necnon æternum Dei amorem eos
omnes complectentem, ita ut unusquisque bene excisus I, 41. Cfr. III, 244.
sit vividus tabernaculi Dei lapis ». Ipsius *notas* in expli- Cfr. I PETR., II, 5.
catione symboli enumerat. Est *una* : ipsius unitas in
fidei præsertim et caritatis vinculis consistit; compara-
tur arcæ Noe, extra quam constituti perire debebant : III, 244.
pariter et illi qui a nave Petri, quæ est Ecclesia, sepa-
rantur, nullam adipisci salutem possunt. Ad hoc autem Cfr. II, 137.
sufficit ut unum fidei articulum negent : « ubi enim unus
deficit, ibi jam in veritate nullus est (*waer een ghebrect,
daer en is gheen in der uaerheit*). Est *sancta* : ipsius II, 73.
membra per sanguinem Christi mundata sunt, per gra-
tiam Spiritus Sancti uncta, per inhabitationem Sanctæ
Trinitatis sanctificata. Est *catholica*, per totam terram
*communis* (*ghemeyne al ertrijc doer*). Hoc nomine videtur
R. catholicitatem designare, quam non dogmatice, sed

mystice, per sanctitatem et sanctorum communionem
explicat : quemadmodum corpus multa membra habet,
et quodlibet membrum aliis deservit, ita Ecclesiæ cor-
pus, cujus caput Christus est, multa habet membra,
quæ per Spiritum Sanctum vitam habent; Christus autem
omnia membra sua nutrit, tum sanctos in cœlo regnantes,
tum animas in purgatorio degentes, tum homines justos
in terra constitutos; singulorum etiam membrorum
III, 243-245. Cfr. I, *præs.* 220-222; II, 24-25. opera bona totum corpus nutriunt. Est tandem *aposto-
lica* : nam sanctus Petrus ipse aliique Apostoli illam
III, 243. supra firmam petram, quæ Christus est, fundaverunt.
Omnia eventa relate ad constitutionem Ecclesiæ, ad con-
secrationem Apostolorum, ad primatum S. Petri, quæ
mortem Christi, ipsius resurrectionem et ascensionem,
comitata sunt et subsecuta, accurate juxta quatuor Evan-
I, 266-272. geliorum narrationem describuntur.

In omnibus suis libris, R. fidissimum Sanctæ Eccle-
siæ filium se exhibet, ipsiusque auctoritati se sub-
mittit : « pro omnibus quæ intelligo, vel sentio, vel
scripsi, ait ipse, totum me Sanctorum et Sanctæ Ecclesiæ
sententiæ subjicio; etenim Christi servus, in christiana
fide, vivere et mori volo, et per Dei gratiam vivum
VI, 268. Cfr. V, 274. S. Ecclesiæ membrum esse appeto ».

## § 3. *De Sacerdotio Christi, de Sacramentis, et speciatim de Eucharistia.*

Christus, in altari crucis, verum obtulit Deo Patri
sacrificium; ita debitum nostrum solvit, ut adhuc re-
maneret « unguentum » suorum meritorum et gratiarum
I, 257-278; 265-266. quæ ad salutem omnibus sunt et necessariæ, et suffi-
cientes. Nam Christus vult « omnes salvare et neminem



perdere »; « non enim ad damnandos, sed ad salvandos
omnes peccatores venit, Ipsiusque mors omnia præpon- V, 235.
derat peccata »; mortuus est pro omnibus, quantum in
se est (*alsoe verre alst in hem is*). Ipsius gratia semper V, 150.
est parata iis qui ad Illum ire volunt; specialius autem V, 231.
Christus venit ad oves, quæ perierant, domus Israël, per
quam « omnes ab æterno præelectos » R. intelligit. VI, 119.

Unguentum illud meritorum Christi R. sæpe confert
cum mixtionibus in V. L. fieri solitis : Unguentum V. L.
amarum erat, ideoque figura prophetica adventus et pas-
sionis Christi; hinc sanctitas tunc potissimum con-
sistebat in desiderio exulantis ad adventum Christi, eoque
major erat, quo intensior ad Christum erat anhelatio.
Crisma autem Novi Testamenti componitur oleo Spiritus
Sancti et balsamo meritorum Christi. Hic est thesaurus
Sanctæ Ecclesiæ, e quo sacerdotes hauriunt et singulis
hominibus dispensant; merita Christi ipsi per sacra-
menta applicant, quæ veram gratiam et sanctitatem con- I, 271-280.
ferunt.

Consuetum autem est R. ut thesaurum Sanctæ
Ecclesiæ, quem Christus sanguine suo emit, duabus
constare partibus dicat : una materiali, sc. bonis
Ecclesiæ temporalibus, altera spirituali, sc. sacramentis.
Utriusque cura Prælatis Ecclesiæ mandata est, qui
utrumque debent *communiter* distribuere : in collatione
sacramentorum, ministri nullum stipendium exigere
possunt. Opera externa pretio æstimari possunt, sed
sanctum, quod absconditum est in sacramento, vendere
non licet (*dat heylighe dat verborghen is in die sacra-
mente, dat en machmen copen noch vercopen* (1)).

(1) V, 151-157. Sæpe alibi, eodem modo, loquitur de bonis Ecclesiæ (*van Christi patrimonium, dat hij met sijnre doot ghecocht heeft*); V, 237; VI, 120.

R. circa sacramenta doctrinam catholicam amplectitur. Sacramenta sunt « externa sensibilia signa » quæ
III, 174. rebus et verbis constant, invisibilemque gratiam continent. Ab ipso Christo instituta sunt, qui tamen omnes cæremonias, hoc tempore fieri solitas, in prima eorum collatione non adhibuit; hæ postea tantum, propter reverentiam et dignitatem (*omne reverencie eñ weerdicheit*
I, 271. *der sacramente*) ab Ecclesia additæ sunt. Sacramenta infallibiliter, per secretam actionem Christi, (*overmits Christus heymelic inwerken inden Sacramente*), gratiam producunt (*ex opere operato*), in iis qui nullum
VI, 19, 20. *obicem* habent (*sonder contrarie der Sacramente.*) Hinc, eorum ministri sacerdotes totam suam potestatem a Christo, summo Sacerdote, recipiunt; hinc etiam, sua malitia sacramenta fœdare nequeunt, sed, etiamsi indigni
V, 154. sint, Dei potentia, in persona Christi, ligare et solvere possunt.

Sacramenta sunt numero septem : *Doepsel*, *Vermen*,
IV, 130-133. *Penitencie, Heylich Sacrament, Ordine, Huwelijc, Olisel.*— *Baptismus* delet peccatum originale, hominique gratiam divinam confert, qua ex Spiritu Sancto renascitur. — *Confirmatio* gratiam auget hominemque roborat. — Si, per peccatum proprium, homo iterum ad statum inimicitiæ cum Deo relapsus fuerit, præsto est tertium *pœnitentiæ* sacramentum : hujus sacramenti minister est sacerdos; diaconus tamen, in casu necessitatis,
II, 141; cfr. not. confessionem audire posset, at tunc Christus Sum-
I, 10-11. mus Sacerdos supplet. Distinguit R. tres partes
IV, 67; I, 111. essentiales sacramenti : *rouwen*, *biechten*, *ghenoech doene*. — Homini in quarto sacramento Christus seipsum in cibum tradit. — Quintum sacramentum est *ordo* : licet enim omnes fideles, suam sanctitatem Deo offerentes,



in spiritu sacerdotes sint, peculiariter tamen, quosdam e populo christiano selegit Deus, quibus potestatem in Ecclesiam ipsiusque thesaurum fecit. Sacerdotes sunt II, 139-141.
mediatores inter Deum et homines constituti, æterno II, 67-68.
Christi sacerdotio participantes; omnis potestas venit a Deo per Christum et principes Sanctæ Ecclesiæ. R. etiam II, 52.
hujus sacramenti caracterem (*die tekenen*) agnoscit. — Sextum est *Matrimonium*.— Septimum est *Extrema Unctio*, quam « homo cum desiderio suscipiet, quando moriturum se putat, idque ut venialia et oblivioni tradita peccata per sacramentum ipsum et preces sacerdotum et Sanctæ Ecclesiæ remittantur. »

Peculiari quadam devotione, uti diximus, prosequebatur R. venerabile altaris sacramentum. Inter maxima nobis a Deo collata beneficia, præter Creationem, Incarnationem, Redemptionem, ut quartum immensi Dei erga nos amoris signum, S. Eucharistiam celebrat. In pluri- III, 164-172.
mis suorum librorum locis, occasione sæpius desumpta ex versu Psalmistæ : « Parasti in conspectu meo mensam, Ps. XXII, 5. Cfr. II, 134; III,
adversus eos qui tribulant me », doctrinam eucharisticam 144.
apprime exponit; locus tamen classicus est *speculum salutis æternæ*, quod jure etiam *epistola de sacrosancto Sacramento* inscriptum est. — Doctrinam hanc paucis hisce comprehendimus :

Multiplicem in V. T. hujus sacramenti figuram R. agnoscit : tum panem oblationis sacerdotum, tum panes II, 47-51.
propositionis, tum præcipue agnum paschalem. Ipsa die II, 134.
qua manducandus erat agnus paschalis, Christus sacra- II, 89-92; 156-166; III, 150-152.
mentum hoc instituit, « primam Missam celebravit », sicque sacramentis Antiquæ Legis finem imponens, Novum suum constituit Testamentum. — R. Eucharistiam,

tum ut est sacramentum, tum ut est sacrificium, evolvit et explanat.

Sacramenti materia, a Melchisedech præfigurata, sunt panis et vinum, panis triticeus azymus, et vinum modica aqua mixtum; forma sunt verba consecrationis. *Per rectam intentionem* sacerdotis et verba consecrationis, mutatur substantia panis in substantiam corporis Christi, ita ut quidquid antea panis erat, post consecrationem sit corpus Christi; pariter et vinum mutatur in sanguinem Domini (1). Corpus illud idem est numero corpus quod in ultima cœna cum discipulis accumbebat, quod nunc gloriosum in cœlis est; licet autem, vi verborum, corpus tantum sub specie (*ghedaente*) panis præsens sistatur, per concomitantiam tamen (*in der navolghinghen*) præsens etiam est sanguis, anima et divinitas Christi, totum quod est Christus secundum humanitatem et divinitatem; hinc tantum recipit laicus, sub una specie, quantum sacerdos, sub utraque specie, Eucharistiam recipiens. — Christus totus et indivisus est tum in unaquaque hostia consecrata, tum in quavis hostiæ consecratæ particula : quemadmodum omnes hostiæ, quas præ se ante consecrationem sacerdotes habent, nonnisi una substantia et una indivisa panis natura sunt (*ene broot-*

(1) Doctrinam transsubstantiationis hoc modo R., III, 154, exponit : *Die materie dat is broet eñ wijn, die forme dat sijn die woerden ons Heren daer hi sprect* dit is mijn lichame, *ende* dits mijn bloet. *Want doen hi sprac* dit is mijn lichame, *doen verwandelde* (veranderde) *hi die substancie des broets in die substancie sijns lichamen, niet alsoe dat dat broet te nieute ghinc, maer sijn ontwerden* (ophouden brood te zijn) *wart de lichame ons Heren : niet een nieuwe lichame; mer die selve die daer ter tafelen sat, eñ at, eñ dranc met sine discipulen, dien hadden si oec voir hem inden Sacramente, alsoe dat sine saghen mit haren uutwendighen oghen ter tafelen sitten,... eñ al dat te voren broet was, dat wert die lichame ons Heren.*



*heit onghedeylt*), ita post consecrationem, sunt una substantia corporis Christi, quæ dividi non potest. — Ad hanc mirabilem conversionem declarandam, unice recurrit R. ad Dei omnipotentiam, aliarum mirabilium conversionum exemplum adducit, et simplicem a christianis fidem exigit : quemadmodum Apostoli hominem videbant et Deum credebant, sic et nos Christum, hominem et Deum sub specie panis latere credere debemus. Modum autem præsentiæ explicat analogia desumpta ex anima humana, quæ tota est in toto corpore totaque in singulis membris.—Respondet objectionibus suo tempore fieri solitis : « Sacramentum a Christo consecratum, manducaverunt Apostoli ; quid ergo faciunt sacerdotes? » — Hujus quæstionis solutionem præbuit ipse Christus, dicens : « Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam faciatis ». His verbis Christus apostolos eorumque successores sacerdotes constituit; Ipsius exinde illi sunt voluntaria instrumenta (*willeghe instrumente*) et Christus per os eorum loquitur : « Hoc est corpus meum ». Unusquisque sacerdos vere consecrat corpus Christi, nec omnes sacerdotes plus consecrant quam idem corpus. — Porro nonnulli etiam quærebant cur Christus seipsum latentem in sacramento dederit, non manifestum sicuti in terra erat, vel sicuti nunc est in cœlo.—R. respondet, ad sapientiam Dei primum provocans, dein ostendens illud nostro viatoris statui non competere : Christum in Ipsius claritate videre, oculi nostri ferre non possent, nec Eum, prout in terris degebat, in communione recipere possemus. Corpus quod recipimus, illud est corpus quod est in cœlo secundum substantiam et ea quæ cum substantia essentialiter unum sunt (*alle dat met hare weselic een is,*

*dat is lingte, breide eñ groete, eñ al dat den lichame*
III, 153-163; 173-177; II, *pr.* 159-160. *toebehoirt, alsoe alst al metter substancien een is*); prout
autem cum suis pedibus, manibus et membris in cœlo
est, illud non recipimus.

Non tantum Christus nobis carnem suam suumque
sanguinem in cibum et potum dedit, sed ulterius, magnum nobis sui amoris signum præbuit, instituendo
Eucharistiam uti sacrificium. Ideo duarum partium sacramenti consecratio divisa est, et in forma consecrationis sanguinis Christus dixit : « Hic est calix sanguinis
mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». Illum nempe sanguinem, qui pro
salute nostra in ara crucis effusus est, Christus ipse
III, 163; IV, 68-69; II, 98-100. obtulit, et hodiedum sacerdos in Missa, divino Patri, in
commemorationem passionis, pro salute omnium offert.

---

Diversis hisce mediis divina gratia perfusus, necnon
bona voluntate, quæ totius sanctitatis initium est, præditus, homo ad Deum, suum Principium, vitam suam
dirigere debet. Duplex autem est ad Deum via : via
mandatorum, quam omnes sequi necesse est, quæque
ad salutem obtinendam sufficit; via consiliorum, perfectior, nemini præscripta, omnibus autem consulta.
Utramque R. describit, hanc autem posteriorem præcipue laudibus effert, ipsiusque gradus accurate ponit.
Quos singulos in sequenti capite expendemus.

Interim, advertendum est, duplex semper elementum
a R. poni in negotio salutis et perfectionis christianæ,
I, 121, 236-237, etc. nempe gratiam Dei, et liberam hominis voluntatem.
Hæ duæ causæ in actionibus meritoriis semper concur-
I, 111-112. runt; causa principalis est gratia Dei, ita quidem ut



Deus « omnes nostros actus bonos operari » dici possit. IV, 72.
At illa non cogit hominis voluntatem, qui libere semper,
tum salutem suam operatur, tum divinis inspirationibus
respondet.

Licet autem liberi simus, remanemus tamen sub Dei
dominio : « Illius necessario esse debemus *(moeten wi
van node sine sijn)*, sive beati in cœlo, sive damnati in
inferno ». — Doctrinam circa *novissima* tradit R. in III, 138.
*Regno Amorosorum* et in tractatu *de christiana fide* : IV, 251-257. III, 246-260.
ibi corporum resurrectionem eorumque quatuor dotes,
elementis respondentes, accurate describit, beatorum
præmium et damnatorum poenam graphice depingit.
Purgatorii tandem existentiam pluries in libris suis Cfr. VI, 115, etc.
R. profitetur.

## CAPUT II.

### DE DOCTRINA MYSTICA JOANNIS VAN RUYSBROECK.

Doctrinæ mysticæ R. expositionem aggressuris, duplex nobis occurrebat disserendi methodus : altera, ut simul contractis singulis illius elementis per omnes libros sparsis, doctrinam integram et similitudinum involucro expeditam, proponeremus; altera, ut auctoris ordinem pressius secuti, varias comparationes exhiberemus sub quibus ipse doctrinam suam mysticam tradit. Posteriorem hunc seligimus modum, tum ut R. indolem melius in lucem proferamus, tum etiam ut, servatis auctoris methodo et, ut ita dicam, verbis, æquius de ejus doctrina habeatur judicium.

Innumeræ autem sunt a R. adhibitæ similitudines. Uti jam ex præcedentibus patet, in Deo, in universo

materiali *(macrocosmos)*, in homine *(microcosmos)*, in angelis, etc., analogias invenit sub quibus suam de triplici vita doctrinam exponat. Solemnis illi est explicatio vitæ mysticæ juxta septem dona Spiritus Sancti, quæ, licet apud Mysticos sæculi XIV haud infrequens sit, vix tamen a quoquam sæpius evoluta est quam a R.; triplici enim diverso modo, tum in *Regno Amorosorum*, tum in *Nuptiis spiritualibus*, tum in libro *Tabernaculi spiritualis* ex integro describitur. Cum hac etiam frequenter connectitur tractatus de octo beatitudinibus. Præcipuæ tamen figuræ sunt : matrimonium spirituale animæ cum Deo — triplex hominum species, qui « Dei familiam » constituunt — triplex unio seu unitas supernaturalis animæ.

Has expositiones, servato ordine chronologico, successive exhibebimus.

## ARTICULUS I.

### DESCRIPTIO VITÆ MYSTICÆ JUXTA COMPARATIONEM MATRIMONII SPIRITUALIS.

Comparationem matrimonii spiritualis, apud Mysticos tritam, et mysticæ Cantici Canticorum interpretationi innixam, in tribus libris *Nuptiarum spiritualium* (quod ipsius opus est præcipuum), R. evolvit, et ita quidem, ut male sonantes et incongruas ex hac unione carnali desumptas analogias, apud alios Mysticos non raro occurrentes, ipse maxima cura devitet. Partitionem
MATTH. XXV, 6. operis suppeditat textus : *Ecce sponsus venit : exite obviam ei* (*Siet, die Brudegom comt, gaet ute hem te ontmoeten*), in quo quatuor inveniuntur consideranda :



*a*) *visio*, ex parte sponsæ *(siet)*; *b*) *adventus sponsi (die Brudegom comt)*; *c*) *exitus sponsæ ad sponsum* (*gaet ute*); *d*) *obviatio sponsi et sponsæ (hem te ontmoeten)*. Analogiam autem sic intelligit auctor : Anima seu natura humana est sponsa Christi, quam lapsam Ipse Patri reconciliavit, donis iterum cumulavit sibique desponsavit. Ut autem illa ad unionem cum Christo in unaquaque vita pertingat, quatuor requiruntur : *a*) anima debet *videre* Christum advenientem, i. e., ad dona Christi suscipienda se præparare; *b*) *Christus venit*, i. e., animæ bene dispositæ dona sua communicat; *c*) *anima egredi debet*, i. e. virtutes, Christi donis respondentes, exercere; sequitur tandem *d) obviatio*, unio animæ cum Deo, quæ supremum sanctitatis est culmen.

Has divisiones unicuique vitæ mysticæ applicat auctor, primum operis librum vitæ activæ, secundum vitæ internæ, tertium vitæ contemplativæ deputans; in fine autem duorum primorum librorum, quintum addi videtur punctum, sc. *de supremo vitæ* sive activæ, sive internæ *culmine*, quod transitionem ad nobiliorem vitam explicandam esse dixeris.

Eumdem dicendi ordinem sequemur, ita tamen ut, contractis in unum secunda et tertia divisione, pro unaquaque vita speciatim agamus : *a*) de præparatione sponsæ; *b*) de ipsius ornatu et exitu ad sponsum; *c*) de obviatione sponsi et sponsæ (1). Hæc autem excipiet, in primis duobus libris, caput quartum de supremo vitæ gradu.

(1) Ad hos etiam gradus R. systema mysticum contraxit H. HERP, *Spiegel der volcomenheyt*. Antv. 1502.

### § 1. *De vita incipiente, activa.*

VI, 1-10. I. Præparatio sponsæ. — Quemadmodum ad visum naturalem tria requiruntur, videlicet, lumen extrinsecum cœli vel aliquod aliud materiale lumen, quod aerem clarificet; libera voluntatis electio qua quis species rerum videndarum oculis suis imprimi patiatur; instrumentum bene dispositum, oculi sc. sani quos corporalium rerum imagines transformare valeant, — eodem modo, ut anima christiana sponsum advenientem supernaturaliter inspicere possit, tria sunt admodum necessaria.

Primum est lumen gratiæ Dei. Porro duplex distinguitur gratia : altera est gratia præveniens seu præcurrens *(die voirgaende, vorelopende, vorecomende gracie)*, quæ omnibus, ex Dei amore communi, datur; altera est gratia specialis, quæ hominem Deo gratum facit, et qua vitam æternam meremur *(dat den mensche Gode bevalleec maect, daermen in verdient ewich leven)*. Hæc est quædam fructifera valde virgula, veniens ex vivo paradiso æterni regni; nec ullum opus sapidum et salutiferum esse potest, quin ex hac procedat; non omnibus inseritur, quia nonnulli propriæ arboris indolem sylvestrem, i. e. infidelitatem vel perversam et inobedientem mandatis Dei voluntatem, amputare nolunt. — Priorem Deus *in nobis sine nobis* operatur; diversis modis, tum internis, tum externis, cor hominis movet; si homo id quod in se est, facit, tunc venit quoddam Dei gratiæ altius lumen, ceu solis quidam instantaneus splendor, quod in ipsam animam funditur, non condigne pro meritis acceptum nec secundum dignitatem cupitum *(onverdient eñ onbegheert na weerdicheit)*; quandoquidem



in hoc lumine Deus seipsum creaturæ largitur, quem nullus hominum promereri potest, antequam habeat.

Ex illo lumine oritur secundum, quod ex parte animæ requiritur, scilicet, ut per hanc gratiam sua libera voluntate homo se ad Deum convertat; ex illa animæ ad Deum conversione scaturit caritas. Duo illa puncta sic a se invicem condependent, ut unum sine altero compleri non possit.

Ex illis duobus, divina nempe gratia et libera voluntatis conversione, oritur tertium punctum, quod est conscientiæ puritas; quicumque enim divino accenditur amore, plenam etiam habet peccatorum suorum contritionem.

Ordinatio igitur talis est : Deus primum dat lumen gratiæ, quo adjutus homo liberam suæ voluntatis dat conversionem; ex quibus duobus oritur perfectus amor ad Deum, et ex amore plena contritio et puritas conscientiæ.

II. Ornatus sponsæ et exitus ipsius ad sponsum. — VI, 17-19.
Præsupposita jam prima conversione a peccatis ad virtutes, novam anima gratiam accipit, qua ulterius in virtutibus proficere possit. Quando nempe in humilitate et in infimo suo statu se recipit, fateturque se ex seipsa nihil valere, nec in virtutibus progredi posse, sed econtra multoties a virtutibus deficere et retromanere, tunc in se facit vallem humilitatis.

Christus autem sponsus, sol justitiæ, e suprema firmamenti parte, e cœlo ubi ad dexteram Patris sedet, in vallis fundum, in animam humilem, splendet; anima, per humilitatem, donorum Dei magis receptiva, tum gratia magis illuminatur et clarificatur, tum amplius calefit et caritate fervet, tum in perfectis virtutibus et

bonis operibus magis fructifera, ad sponsum suum modo congruo *exit*.

Ille autem *exitus* triplex est : nos enim ad Deum, ad nosmetipsos, ad proximum, idque per caritatem, humilitatem, et justitiam, *exire* necesse est. Caritas semper ad regnum Dei, quod est ipse Deus, sursum nititur; justitia, ex caritate oriens, omnes virtutes bonosque mores ordinat, quæ ad regnum Dei, quod est ipsa anima, pertinent; ambæque humilitatem, regni animæ fundamentum ponunt. Tres istæ virtutes totum pondus et integram virtutum structuram sustinent, quum caritas coram infinita Dei bonitate, justitia coram Ejus æterna veritate, humilitas tandem coram Ipsius alta potentia, hominem sistant (1).

A) Humilitas, *fundamentum totius ædificii spiritualis* (2). — Humilitas est quidam bassus vel profundus animi affectus, i. e. quædam interna cordis et animi coram alta Dei dignitate inclinatio et submissio. Ex humanæ miseriæ et divinæ majestatis consideratione oritur (3), et in magna erga Deum reverentia consistit. Vir humilis in omnibus suis operibus Deo honorem

(1) VI, 24-25; p. 24, l. 20, supplendum putamus : *et cum humilitate*, quæ verba in Gerardi Groot translatione inveniuntur, et ad sensum requiruntur. Justitiam, intelligimus virtutem generalem, quæ hoc sensu ad proximum ordinat, quod honesta vita et bona conversatio aliis sit exemplum. Cfr. I, 20 sqq. — Hac translatione Gerardi Groot, prout in cod. bibl. sem. Leod. invenitur, pluries usi sumus.

(2) Enumeratio virtutum, quæ sequitur, habetur VI, 25-41. Earum omnium nexum R. ostendit, vitiis capitalibus opponit et beatitudinibus applicat. Definitiones quatuor primarum exponuntur in libro *de duodecim virtutibus*, III, 1-62.

(3) In libro *de duodecim virtutibus*, juxta S. Bern., duplex distinguitur humilitas : altera oriens ex consideratione majestatis divinæ; altera ex bonitatis contemplatione (III, 6 sqq.).



præbet, quod opus est humilitati primum, et caritati maxime saporosum, et justitiæ congruentissimum; Ecclesiam, seipsum et proximum propter Deum reveretur, sicque primum peccatum capitale, superbiam scilicet, omnium peccatorum causam et radicem, fugat et delet (1). — Ex illa humilitate procedit :

1° *Obedientia (ghehoirsamheit)*, nam nullus potest interne obediens esse nisi vir humilis. Obedientia est quidam bassus, subjectus et frangibilis animus, et quædam prompta voluntas ad omne bonum. Hominem Superiorum præceptis, imo et consiliis subjicit, in religiosis congregationibus pacem generat; inobedientiam, superbiæ filiam, depellit (2). — Ex illa oritur :

2° *Renuntiatio seu destructio propriæ voluntatis et proprii judicii (vertyinghe eighens willen)*, nam nullus, nisi obediens, suam in alterius voluntatem abdicare potest, licet quis, in propria voluntate manens omnia externa opera adimplere valeat. Hæc abnegatio in eo consistit, quod homo sine electione *hujus* vel *illius*, in faciendo, in dimittendo, in sufferendo, semper æqualis vivat. Humilitatem in summo gradu perficit; voluntatem humanam divinæ voluntati tali modo conjungit, ut homo nihil aliud quam quod velit Deus, cupere valeat. De ea dixit Christus : « Beati pauperes spiritu, i. e. qui propriæ voluntati renuntiaverunt, quoniam ipsorum est regnum cœlorum » (3).

(1) Ubique R. humilitatem maxime commendat : *Nedergaen in oetmoedecheiden, dat es een opgaen boven alle hoecheit der hemele*, ait, ipse II, 77, sane alludens ad verba Christi, Matth., XVIII, 4, XXIII, 12, etc.

(2) Cfr. II, 93 : *Ghehoersaemheit es dat binnenste maerch alre doechde.*

(3) Eodem modo, per tres has virtutes, explicatur prima beatitudo in *Regno Amorosorum*. Cfr. IV, 157-160.

3° *Patientia (verduldicheit)*; fieri enim nequit, ut quis in omnibus sit patiens, nisi propriam voluntatem in Dei et aliorum hominum voluntatem pro rebus utilibus et congruis abdicaverit. Patientia est quædam omnium rerum quæ vel a Deo, vel a creatura, homini supervenire possunt, sedata sufferentia. Secundum peccatum capitale, sc. iram, fugat.

4° *Mititas seu mansuetudo (saechtmoedicheit)* in hominibus pacem et concordiam de omnibus generat, omnes animi motus sedat, est cum pace sufferentia. « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram », i. e. suam naturam et res terrenas secundum rectam ordinationem (1).

5° *Pietas seu gratiositas (goedertierenheit)*. Cor pietate plenum lampadi oleo refertæ simile est : pius enim erranti peccatori bonis exemplis lucet, conquassatos corde, tristes et iracundos sua dulcedine inungit et sanat.

6° *Compassio (compassie)* est quædam intrinseca cordis commotio cum misericordia ad cujuslibet hominis necessitatem tum corporalem tum spiritualem. Illius objecta sunt : *a*) Christus, ipsius dolorosa passio et inaudita supplicia; *b*) ipse compatiens, proprii ejus defectus et in virtutibus retromanentia; *c*) proximi, eorum necessitas spiritualis, stultitia et elongatio a Deo; eorum necessitas corporalis, præsertim si in ipsa passione sint impatientes. Hac virtute, tertium capitale peccatum, sc. odium et invidiam, homo depellit, et a Christo meretur audire : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur », quando nempe in exultatione me-

(1) Paulo aliter explicatur IV, 164-166.



tent, quod in compassione et mœstitia seminaverunt. — Ex hac derivatur :

7° *Largitas (mildicheit)*; licet enim quis sine caritate et supernaturali largitate, aliquibus specialibus quibus favet, personis, large tribuere possit, nullus tamen nisi misericors, cum communi fidelitate (*met ghemeinre trouwen*) et favore supernaturaliter largus esse potest. Largitas est quidam largus et generalis effluxus cordis caritate et misericordia permoti. Ipsa compassionem perficit, similiterque exercetur : *a*) erga Christum : illi homo largus propter ipsius passionem laudes et gratiarum actiones refert; *b*) erga seipsum : propter defectus suos non desperat, sed in Deo confidit firmamque voluntatem Illi serviendi retinet; *c*) erga proximum : Deum precatur ut largitatem suam in peccatores exerceat; secundum cujuslibet indigentiam, secundum suam potentiam (1) et *discretionem*, opera misericordiæ adimplet. Per hanc virtutem depellitur avaritia, et præmium acquiritur his verbis expressum : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur » (2).

8° *Supernaturalis seriositas et diligentia (erenst eñ vlieticheit)*. Hoc serium est quædam intrinseca, ad omnem virtutem, et ad Christi et sanctorum similitudinem, importuna agitatio. Homo, in quo vivax est illud desiderium, quintum peccatum capitale fugat, sc. tarditatem animi et tædium in virtutibus necessariis acquirendis. « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur », quando apparuerit gloria Dei, et quem-

(1) Pauperes etiam opera misericordiæ facere possunt, atque per suam intentionem merentur : *Dat is Gode al eens : want ontfermherticheit eñ mildicheit, dat is die doecht, niet die werke van buten.* (IV, 165).

(2) 5ª beatitudo ante 4ᵃᵐ ponitur. Cfr. MATTH., V, 6, 7.

libet secundum mensuram sui amoris et suæ justitiæ saturabit (1).

9° *Moderantia et sobrietas* (*mate eñ soberheit*). Sobrietas supremam animæ vim a bestiali separat hominemque ab immoderatis et nimiis arcet. Porro duplex distinguitur sobrietas. Altera spiritualis est, et in eo consistit quod de Deo, de natura, de Scripturis et omnibus creaturis homo profectum suum et nihil amplius quærat et accipiat; per hanc, stabilem in Deo et in seipso pacem possidet. Altera corporalis est, qua bestialem vim homo sub ratione cogit et constringit, atque potu, cibo, quiete aliisque rebus recte utitur ad vires conservandas et ad Deo serviendum; per hanc procuratur sanitas, et bona naturæ corporalis ordinatio, et exterioris conversationis honestas; sic cum seipso et cum proximo pacem habet homo. Contrariatur hæc virtus sexto capitali peccato, nempe immoderantiæ, edacitati, vel gulæ (2), hisque Christi verbis laudatur : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur »; nam sobrii Filio Dei sunt similes, qui omnem creaturam pacem cupientem pacificavit (3).

10° *Munditia* (*Reynicheit*) triplex distinguitur : *a*) munditia spiritus, qua homo in Deo, supra omnia Ejus dona, quiescit, nihil quantumvis sanctum agit, imo nec ad S. Eucharistiam accedit, nisi propter honorem Dei et virtutum augmentum; *b)* munditia cordis, in eo sita quod in qualibet corporali tentatione et in quolibet animæ motu, homo ad Deum, seclusa omni hæsitatione,

(1) Illam voluntatem totius bonæ vitæ initium esse frequenter asserit R. Cfr., e. g., I, 15 sqq.

(2) Filias gulæ juxta Gregorium (Mor., XXXI, 17) R. enumerat, II, 13, ejusque gravitatem evolvit.

(3) Iterum 7a anteponitur 6æ beatitudini.



se vertat, et voluntatem habeat cum Deo perpetuo permanendi; *c)* munditia corporis, qua homo a luxuriosis operibus, quibuscumque fiant modis, se trahit et custodit. Opponitur hæc virtus peccato luxuriæ, illique Christus pollicetur : « Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt ».

B) Justitia. — Ut prædictas virtutes possideamus et VI, 41-42.
conservemus, justitiam habeamus, illamque in puritate cordis usque ad mortem exerceamus, necesse est. Tres potentes inimici nos omni tempore, omni loco variisque modis tentant et impugnant, sc. Inimicus, mundus, et caro propria, nobis, utpote proxima, frequenter maxime damnosa. Si illos vincere velimus, requiritur ut nostram infimam, i. e. bestialem partem, quæ nobis in acquirendis virtutibus contraria est nosque a Deo avertere nititur, per pœnitentiam et duram vitam ita comprimamus, ut rationi semper subjecta maneat (1). Pariter, persecutiones virtutibus contrarias nobis Deo permittente advenientes, libenti animo ad honorem Dei nostrumque profectum tolerare debemus. Christus enim dixit : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum » (2).

C) Caritas. — Quicumque sanctitatem conservare VI, 42-45.
cupit, animam suam sicut unum regnum ornare, possi-

(1) Sæpe R. oppositionem illam instituit inter carnem et spiritum, alludens ad Gal., V, 17 : « Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem ». Hinc regulam pro mortificationibus corporalibus tradit : corpus est inimicus noster, ideoque odio habendum est et comprimendum; attamen etiam instrumentum est bonorum operum, ideoque amandum et cum discretione fovendum. Cfr. IV, 7-8.

(2) Divisionis initio tractatus traditæ immemor, non explicat R. quomodo per justitiam ad proximos « exeat » homo, sed totus in eo est ut octavam beatitudinem applicet.

dere, et ordinare debet. Rex animæ est voluntas, natura libera, gratia liberior; quæ ab ipso Imperatore, qui est Dominus, præceptor et rex regum, coronam caritatis accepit. In suprema regni civitate, in vi concupiscibili, commorabitur, fortitudinem habens ut vestem. Prudentissimos terræ suæ consiliarios eliget, duas scilicet virtutes, scientiam et discretionem, per lumen Dei clarificatas; hæ quoddam palatium regi proximum, quod dicitur rationalis vis, inhabitabunt moralique temperantiæ virtute vestientur. Ponet in regno suo judicem ipsam justitiam : hic judex, in medio regni, i. e. in vi irascibili situs, moralem prudentiæ virtutem induet, quia justitia sine prudentia nequit esse perfecta; qui, virtute et potentia regis fretus, sapientia consiliariorum adjutus, propria instructus prudentia, totum regnum penetrabit ac inspiciet. Omnes hujus regni gentes, i. e. omnes animæ potentiæ, in humilitate fundatæ, in timore Dei et omnibus virtutibus, quælibet secundum suam aptitudinem, subjicientur (1).

Quicumque hoc modo regnum animæ suæ possedit, conservavit et ordinavit, is ad seipsum, ad proximum et ad Deum cum amore et virtutibus *egressus est*.

VI, 45-48. III. Obviatio sponsi et sponsæ, in qua tota nostra felicitas omniumque virtutum principium et finis consistunt.

(1) Cum hac expositione conferri debent tum illa quæ in *Regno Amorosorum* traditur, tum ea quæ in libri de *Tabernaculo* diversis locis habetur. R , ratione facultatis in qua subjectantur, hoc modo virtutes cardinales et theologales distinguit : Vis irascibilis prudentia (*vroetheit*), vis concupiscibilis temperantia (*ghematicheit*), vis rationalis justitia (*gherechticheit*), libertas voluntatis morali fortitudine (*sedelike starcheit*), tres autem potentiæ superiores virtutibus theologicis ornantur (IV, 138-143, coll. VI, 57). — Alibi R. ad 4 principales modos virtutes omnes contrahit : 1° Innocentia (*onnooselheit*); 2° Discretio (*bescedenheit*); 3° Generositas (*meltheit van gronde*); 4° Caritas. (Cfr. præs. I, 159-176). — Hæ divisiones ad eam quæ dedimus, reduci possunt.



Quicumque Christo, amato suo sponso, in vita activa ***obviare*** cupit, triplici modo illud agere debet.

A) Primum est, ut in omnibus ad vitam æternam pertinentibus, Deum intendat et ad Illum intentionem suam totam referat. Ad hoc autem requiritur ut Deum sub quadam ratione divina sibi præsentem habeat, utputa quod ad Illum dumtaxat intentionem suam referat, qui pro se mortuus est, qui Dominus est cœli et terræ et creaturarum omnium, qui æternam beatitudinem et potest et vult tribuere, etc.; præter intentionem, amor et dilectio etiam requiruntur, quia non sapit, nec juvat, nec prodest, sine dilectione cognoscere et videre. Porro, diversi sunt præsentiæ Christi et obviationis modi secundum hominis conversi progressum : peccator per contritionem et rectam intentionem Deo serviendi et peccata perpetuo vitandi Christo obviat, hoc modo peccatorum remissionem, necnon omnium virtutum fundamentum, fidem, spem, caritatem et ad omnes virtutes peragendas voluntatem adepturus; justus, in lumine fidei progrediens, omniaque sibi a Deo collata beneficia advertens, per laudem et gratiarum actionem Christo obviat, majus fidei robur majoremque ad virtutes promptitudinem habiturus; si tandem in ipsis virtutibus progredi velit, per totalem sui abnegationem puramque Dei laudis et honoris intentionem Christo obviat, qua obviatione caritatis augmentum paratissimamque ad virtutes voluntatem acquirit.

B) Secundum est ut juxta Deum nihil apponat quod supra Deum vel æque ut Eum intendat et amet; recta enim intentio postulat, ut quidquid infra Deum intenditur, ad Deum referatur.

C) Tertium est ut in Deo supra omnem creaturam

quiescat, non autem in donis quæ sunt Ipsius nuntii vel famuli (*boden*), ne in maxima quidem consolatione spirituali.

VI, 49-51. IV. SUPREMUM VITÆ ACTIVÆ PUNCTUM. — Quum ad illam perfectionem quis pervenerit, sæpe desiderio incendetur Christum sponsum suum, non amplius in ejus operibus, sed ut in se est, cognoscendi. More Zachaei publicani, omnem turbam, i. e. creaturarum multiplicitatem et varietatem antecedere, atque arborem fidei, quæ utpote in divinitate radices habens, deorsum crescit, ascendere debet. Christus progrediens, illum in lumine fidei alloquetur, ostendensque se secundum divinitatem esse incomprehensibilem, dicet : « Festinans descende, quia
LUC., XIX, 5. hodie in domo tua oportet me manere ». Tunc, ultra omnem notitiam, hominis desiderium ad Deum tendet; nam ubi intellectus foris manet, ibi amor et desiderium ingrediuntur; homo ardenti amore ad Christum se inclinabit, sicque ille in Christo et Christus in eo habitabit (1).

### § 2. *De vita interna, elevata, affectiva.*

VI, 53-55, 61. I. PRÆPARATIO SPONSÆ. — Ad hanc iterum tria pertinent : Primum est lumen gratiæ secundum altiorem modum quam in vita activa; vitæ autem activæ exercitia medium sunt ad hanc majorem gratiam recipiendam (2). Hæc gratia non tantum supernaturalis illuminatio, sed

(1) Sane, voluntas ad bonum non fertur, nisi in quantum cognitum est; sed tanta potest esse vis amoris, ut mens illius solius actus conscia, actum cognitionis non advertat. Hoc sensu R. aliorumque Mysticorum verba intelligenda esse putamus.

(2) Hoc ubique modo tres vitæ subordinantur.



etiam, est velox motio Dei; ex qua oritur secundum, idque ex parte hominis, requisitum, sc. omnium hominis virium, tum externarum tum internarum, in unitate spiritus recollectio. Tertium est libertas spiritus, qua ab omni imagine, sollicitudine, et cordis turbatione expeditus, homo se, prout libet, intus recipere et ad Deum vertere potest : quod vitæ internæ fundamentum est.

II. ORNATUS SPONSÆ ET EXITUS IPSIUS AD SPONSUM. — VI, 62-64.
Triplex est sponsi *adventus*, diversis *modis* sponsam ornans, ipsiusque *exitum* exigens :

A) PRIMUS ADVENTUS SPONSI hominem ornat secundum VI, 64-72.
*unionem infimam* sc. unionem virium inferiorum in anima. Iste *adventus*, cum exercitatione *(oefeninghen)* virtutum ab eo producta, in quatuor *modos (wisen)* dividitur, quorum quilibet præcedenti altior est. Virtuti et splendori solis, pro diverso sui cursus gradu diverse terram illuminantis, comparari potest.

**1us modus :** (1) Quemadmodum sol in excelsos montes magis splendet, majoremque ibi ubertatem producit, ita Christus, æternus sol et divina claritas, liberum cor elevatum, i. e, ab omni inordinata dilectione expeditum, specialiter illuminat, accendit, et ad virtutes movet. Ex hoc cordis calore procedunt :

1° *Unitas cordis* (*enicheit des herten*), in hoc sita quod homo seipsum, cum omnibus viribus suis, in imo suo corde congregatum et coadunatum sentiat.

2° *Intimitas (ynnicheit)*, qua homo interne ad proprium cor conversus, internam actionem et locutionem Dei percipere et sentire potest. Ex hac nascitur :

3° *Dilectio sensibilis* (*ghevoellike liefde*), quædam sen-

(1) Cujuslibet exercitii a præcedente dependentia semper ostenditur.

sibilis saporosa concupiscentia ad Deum tanquam ad Bonum in quo omnia bona continentur; quæ ex beneficiorum Dei consideratione præsertim oritur.

4° *Desiderativa devotio (begheerlike devocie)*, omnes res in Dei servitium ordinans, quum ignis amoris et dilectionis suam desiderii flammam ad cœlum usque tollit. Ex hac procedit :

5° *Gratitudo (danclicheit)*, seu gratiarum actio propter immensa quæ nobis Deus contulit, beneficia (1); tum etiam, *laudatio* Dei, qua homo in omni vita sua divinæ majestati honorem, reverentiam et dignitatem præbet. Sequitur :

6° *Duplex dolor cordis et pœna in desiderio (tweerhande wee van herten eñ pine inder begheerten)*, tum ex eo quod homo in gratiarum actione et Dei servitio deficit, tum ex eo quod in virtutibus juxta desiderium suum non proficit.—Hæc est optima hujus modi exercitatio; comparari potest ebullitioni aquæ (2) : quemadmodum, ignis virtute, aqua sursum tollitur, pondere proprio descendit, iterumque igne sublevatur, ita, Spiritus Sancti calore, extollitur cor hominis ad Deo gratias agendas, per hunc dolorem usque ad fundum descendit, iterumque a Spiritu Sancto movetur : homo ea quæ facere deberet, multum ponderat, dum ea quæ facit, minimi habet.

Qui hæc exercitia peragit, similis est arbori sub influxu solis crescenti : per unionem et intimitatem, exit e terra, i. e., ab omnium rerum terrenarum multi-

(1) Quatuor præsertim, uti diximus (cfr. p. 53), Dei eximia beneficia contemplatur R. Cfr. I, 27 sqq.

(2) Inscriptio c. 15 (VI, 70) textui non quadrat.



plicitate; per intimam dilectionem, vegetat et folia producit; per devotionem, floret; per gratiarum actionem et laudem, fructificat; in humili tandem dolore et pœna, fructus conservantur (1).

**2us modus** : Quando sol *in Geminis* est, duplicem vim et splendorem habet, terræ humores sursum trahit, qui in rorem et pluviam redacti, in terram cadunt eamque feraciorem reddunt. Eodem modo, quando clarus sol Christus in summo nostro corde supra res omnes elevatus est, i. e., quando, juxta primum modum, omnes virtutes Deo cum gratiarum actione et laude offeruntur, ab eis nonnunquam procedit dulcis pluvia novæ interioris consolationis et cœlestis ros divinæ dulcedinis, quæ omnes virtutes augent et duplicant. Ex hac dulcedine procedunt : VI, 72-77.

1° *Voluptas cordis et omnium corporalium virium (weldicheit der herten eñ alle der lijfliker crafte)*, major omni mundana voluptate, quæ talis est ut homo se in divino amoris amplexu comprehensum esse putet. Ex hac sequitur :

2° *Ebrietas spiritualis (ghecstelike dronkenheit)*, quando quis plus sensibilis saporis et voluptatis recipit, quam cor vel concupiscentia desiderat vel capere valet. Illius diversi sunt manifestationes et effectus, uti cantus amoris, lacrymæ, extraordinarii corporis motus, silentium fruitivum, etc.; imo voluptas ita augeri potest, ut homini videatur cor suum esse rumpendum. De illis miris Cfr. IV, 181-182.
operibus homo Deum laudare et ante Eum se subjicere debet, humili corde dicendo : « Domine non sum his

(1) Cfr. Hug. de S. V., *De arca Noe morali*, in *opp.*, ed. Migne, P. L., CLXXVI, 618.

dignus », qua humilitate, in virtutibus et sanctitate proficiet.

Quum sæpe initio suæ conversionis talem modum recipiat homo, nondum ei Deus aliquam gravem tentationem subeundam imponit; impedimenta tamen frequenter illi occurrunt : pruina vel nebula virtutum profectui obstant. Pruina est, consolationibus divinis se dignum æstimare; nebula, super et in interiori consolatione et dulcedine quiescere. — Hæc devitet sapiens; more diligentis apis, ad cuncta bona et ad omnes dulcedines cum ratione et discretione volabit; omne bonum, quod unquam Deus sibi largitus est, caritatis et internæ considerationis sagitta probabit; super nullo donorum flore conquiescet, sed gratiarum actione et laude onustus, in illam unionem, ubi cum Deo habitare et quiescere cupit, revolabit.

VI, 77-88. **3us modus** : Quando sol in summum cœlum, in signum *Cancri* pervenit, majori vi omnes terræ humores attrahit, terraque arida facta, fructus maturescunt. Pariter, quando super omnia dona, et omnem nobis a Deo collatam consolationem, in Deo solo quiescere volumus, Christus, divinus sol, in summo nostro corde stans, omnes animæ nostræ vires sursum ad cœlum trahit, easque sibi uniri postulat. Quæ invitatio generat :

1° *Delectationem* et lætitiam cordis talem, ut cor se aperire et dilatare cogatur, omnes autem animæ vires ardeant et, quod ab eis postulatur, perficere cupiant. Ex hac procedit :

2° *Vulnus amoris* (*quetsure van minnen*). Amore vulnerari, dulcissima sensatio simul est et gravissima pœna, quas quis experiri possit. Renovatur illud quoties sol Christus iterum coruscat atque unionem postulat. Tum



ex instanti illa Christi invitatione, tum ex impotentia hominis ad unionem cum Eo habendam, oritur :

3° *Spiritualis languor* (*gheestelike quale*), quum homo acquirere nequeat quod super omnia cupit, ibique, ubi non esse vellet, remanere cogatur. Quæ mox fit :

4° *Furor et impatientia amoris* (*hore woet ē ongheduericheit van minnen*) (1), qui in tantum augeri potest, ut hominis natura corporalis secrete, sine externo labore (*sonder arbeit van buten=ascesis*), lædatur et consumatur. Magis fervescit furiosus iste modus, quando sol est in signo *Leonis;* tunc ipsius radii tam fervidi sunt, ut sanguis cordis ebulliat. Hinc, alii cum tædio exspectant et impatienter cupiunt a corporis sui carcere liberari ut cum eo quem amant, uniri possint; tristitiæ lacrymas fundunt, quæ naturæ corporalis conservationem juvant. Alii hoc fervore supra sensibilitatem in spiritu trahuntur, diversosque miros effectus experiuntur : revelationes et visiones, sive imaginativas sive spirituales; raptum; subitam coruscationem spiritualem; cœlestes informationes, sive in somniis sive in vigilia. — In hoc autem stadio conversantibus, duplex impedimentum occurrit. Sole nempe in signum *Leonis* currente, incipiunt dies caniculares, quod tempus totius anni insanissimum est; pariter, augente furore, homo similis fit mulieri in partu laboranti vel arbori desiccatæ, imo ad mortem usque amore lædi potest; quod utique vitandum est, nam licet bene moriatur qui ex amore Dei moritur, melius tamen est arborem non deleri quamdiu fructus bonos producit. Posterius impedimentum gravius est :

(1) Cfr. IV, 200-204, ubi etiam sub alia figura designatur : *hongher der gherechticheit.*

quemadmodum, his calidis anni temporibus, quidam melleus ros, qui a pluvia vix discerni potest, in terram cadit, fructusque maculat et corrumpit, ita ejusmodi homines lumine quodam ab inimico diabolo circumcinguntur, imaginesque in quibus falsa veris miscentur, cum delectatione recipiunt : qui hæc non discernunt eaque æstimant, in errorem labuntur fructusque virtutum perdunt.

Qui sapienter in hoc modo agere volunt, formicæ exemplum imitari debent : fortes in adventu Christi exspectando, sapientes erga diaboli revelationem et inspirationem esse debent; non mortem eligent sed Dei laudem novarumque virtutum acquisitionem; in suæ societatis congregatione, i. e., in cordis omniumque virtutum coadunatione commorabuntur; in terra arida, i. e., in vehementi suo amoris furore habitabunt; per hujus temporis æstatem laborabunt, virtutumque fructus pro æternitate comparatos bipartientur, quorum pars altera erit ut sublimem fruitivam unitatem semper cupiant, altera ut, quoad fieri potest, seipsos ratione refrenent; vias alienas non facient nec speciales eligent modos, sed viam amoris semper per omnes procellas servabunt; ita demum, si tempus legitimum exspectaverint, contemplari et in Dei arcana evolare valebunt.

VI, 88-90. **4ᵘˢ modus** : Quando sol in signum *Virginis* pervenit, tunc a summo cœlo descendens, calorem suum amittit jamque nullam in terra fecunditatem producit; simul etiam suum totius anni opus perficit et complet : in autumno nempe, durabiles fructus pro toto anno coacervantur, iidemque, ut ad hominum utilitatem multiplicentur, hoc tempore seminantur. Pari modo gloriosus sol Christus, postquam in summo hominis corde elevatus



est, declinat, suorum divinorum radiorum splendorem abscondere et hominem relinquere cœpit. Tunc homo egreditur invenitque se pauperem, omnibus bonis spiritualibus, quibus antea gaudebat, orbatum, aliquando etiam bonis temporalibus, amicis et consanguineis, Deo permittente, spoliatum, et ab omnibus derelictum; imo nonnunquam tentationibus premitur : unde procedit quædam sollicitudo de cadendo et quædam semidubietas *(sorghe van valle eñ eenrehande half twivel)*, quod ultimum est in quo sine desperatione stare potest. Quid homini sic derelicto agendum est?

1° Preces justorum et S. Ecclesiæ postulare debet; se autem sub manu Dei humiliare, cum patienti abnegatione dicendo : « Deus dedit, Deus abstulit; sicut Domino placuit, sic factum est; sit nomen Domini benedictum »; se totum in manus Dei offerat, necnon, propterea quod ad honorem Dei patitur, gaudeat.

2° Hoc etiam tempore sol in signum *Libræ* currit. Homo derelictus ad omnia fit indifferens : quidquid Deus illi dederit, dulce vel acre, obscurum vel clarum, omnia tandem, solo peccato excepto, æquali animo tolerabit et æque estimabit. Omnes virtutes, quas læto animo antea exercebat, in hoc stadio cum labore et bono corde Deo offeret, quæ sic Deo acceptiores, nobiliores et puriores quam unquam evadent. Libenter omni consolatione carebit, atque in omnibus, dummodo in honorem Dei cedant, æquanimis stabit. Hoc modo, tum virtutum fructus coacervantur, tum etiam illarum semina pro aliorum utilitate seruntur.

3° Porro, impedimenta homini derelicto occurrunt; æquinoctium enim est, post quod sol descendit incipitque frigida tempestas; exinde, in quibusdam incautis

hominibus mali humores congregantur, bonorum ciborum delectationem, appetentiam, et saporem removent, hydropisim diversasque febres generant, quibus infirmitatibus languescunt frequenterque moriuntur. — Pariter inter derelictos,

*a*) Aliqui corporis commoda indiscrete cupiunt, vel sine labore et pœna consolationes a Deo exoptant, vel in creaturis solatium quærunt; qui mali humores, cor hominis implentes, omnium virtutum delectationem et saporem auferunt.

*b*) Alii aqua onerantur, propensione scilicet ad res terrenas possidendas; quo plus acquirunt, eo magis cupiunt; bonorum suorum non domini, sed servi sunt; quæ infirmitas gravissima est, et frequenter ad mortem æternam ducit.

*c*) Alii tandem febribus detinentur. Febris quotidiana nihil aliud est quam cordis, super plura effusi, multiplicitas, quæ cum gratia consistere potest. Febris tertiana, sive ex calore, sive ex frigore oriens, est inconstantia voluntatis; in iis invenitur, vel qui intentionem suam ad virtutes et exteriores modos magis ponunt, quam ad unionem cum Deo supra Ipsius dona habendam, vel qui, intentione divisi, prope Deum, aliquid inordinate cupiunt. Febris quartana est quædam dealienatio a Deo, a seipso, a veritate et a cunctis virtutibus. Duplex tandem quartana est inadvertentia seu negligentia in quam qui labitur, vix deinceps sanari potest.

VI, 104-116. B) Secundus adventus sponsi hominem ornat secundum *mediam unionem*, sc. unionem trium supremarum virium in spiritu : fonti vivo, e quo tres defluunt rivi, comparari potest. Plenitudo gratiæ Dei in unitate spiritus se tenet essentialiter secundum immanentiam *(weselike*



*naden inblivene)*, et active secundum effluxum (*werkelike naden utevloyene)* per rivos derivatur in quamcumque animæ vim, secundum ejus indigentiam.

1° *Primus rivus* est quædam *pura simplicitas* (*ene pure eenvoldicheit*), quæ in spiritu splendet, omnes animæ vires penetrat, *memoriam* exaltat atque ab alienis cogitationum incursibus et inconstantia liberat. — Illi respondet in homine *nuditas* (*bloetheit*); supernaturaliter unitatem sui spiritus uti propriam suam hereditatem et mansionem homo possidet; per simplicem intentionem ad altam Dei unionem inclinatur.

2° *Secundus rivus* est quædam *spiritualis claritas* (*ene gheestelike claerheit*) quæ in *intellectu* cum discretione splendet. Qui divino hoc lumine clarificatur, revelatione non indiget neque raptu, quia supra sensum in spiritu manet et conversatur; lumen tamen Deus pro lubitu confert vel negat. — Homo *exire* debet, suam internam vitam contemplando, inspiciendo an perfectam Christi similitudinem gerat : suos clarificatos oculos ad altam Dei naturam erigit, Ipsius essentiam infinitam creaturali modo respicit, divinarum personarum proprietates contemplatur, Dei tandem incomprehensibilem opulentiam, largitatem et communitatem admiratur; ex hoc oriuntur quædam specialis interna spiritus lætitia et ingens quædam in Deum fiducia, quæ omnes animæ vires amplectuntur.

3° *Tertius rivus* est quidam *inspiratus calor* (*ene inghegheeste hitte*), qui omnes animæ vires penetrat et in *voluntate* quemdam spiritualem subtilem amorem efficit. Homo calore illo fervidus, *exire* debet :

*a*) *Ad Deum et ad omnes sanctos :* Deus illi apparet ut gloriam et voluptatem omnibus sanctis effluendo

impertiens, eosque in suam unitatem attrahens. Aliquando, ostensa sua munificentia, plus postulat, quam possit a creatura præstari; hinc amor sine modo efficitur (*sonder wise eñ sonder maniere*). Omnes spiritus amantes, unam flammam ardentem in amore efficientes, coadunantur ut Deum, secundum suam dignitatem, diligere valcant. Ratio ostendit illud esse impossibile, sed amor vult opus complere, vel deficere et consumi; hinc nova provenit homini voluptas eo quod Deus tam altus sit, ut a nullo nisi a seipso, secundum suam dignitatem amari possit. — Homo choros angelorum etiam spiritualiter perlustrat, in caritate semper dives et effluens.

*b*) *Ad omnes peccatores :* magna compassione et larga misericordia ad eos descendens, Deo illorum miseriam amice proponit et pro illis precatur, non tamen cum pertinacia, sed totum Illius, qui sine mensura amat, opulentæ bonitati committens. Deum etiam orat ut sui amoris fluxum in Gentiles, Judæos et omnes infideles permittat.

*c*) *Ad animas in Purgatorio detentas :* pro eis ad Deum clamat, Eumque deprecatur, illarum bonam voluntatem, gravem pœnam et suspiria ostendens, ut eis succurrere dignetur,

*d*) *Ad seipsum et ad omnes bonæ voluntatis homines :* concordiam quam habent omnes in amore, sapit et advertit; Deum orat ut dona sua illis tribuat et conservet; illos docet, corripit, eisque fideliter et juxta discretionem servit; sic Deum inter et homines mediator efficitur.

VI, 130-135. C) Tertius adventus sponsi (1) hominem ornat secun-

(1) Capp. 49, 50, 51, pp. 125-129, sunt præambulum quoddam ad hunc tertium Christi adventum.



dum *supremam unionem*, sc. unionem spiritus in Deo. Hic est quidam contactus seu quædam motio Christi in intimo nostro spiritu secundum ipsius Christi divinam claritatem; potest comparari vivæ venæ fontis de quo in præcedenti adventu agitur. Illum tactum *(gherinen)* creatura *patitur*, nam in spiritus unitate, nemo nisi Deus operari potest; ille autem est ultimum medium Deum inter et creaturam; supra istum volitat quædam incomprehensibilis claritas, quæ est summa Trinitas, e qua procedit motio. — Profundus ille contactus ad maxime intimam exercitationem, quam creaturali modo in lumine creato quis acquirere possit, spiritum nostrum trahit et ducit. Intellectus ad Deum in sua claritate cognoscendum, et voluntas ad fruendum Eo sine medio postulantur; sed ratio et omne lumen creatum in progrediendo deficiunt, quum supravolitans claritas immensa sit, ad eamque intellectus se habeat sicut oculus vespertilionis ad solis splendorem; vis autem amativa, quæ cæca est et frui vult (*fruitio enim magis in sapore et affectu consistit quam in intellectu*), progredi cupit, ubi intellectus foris ante portam manet. Hinc incipit quædam esuries perpetua progrediendi in Bonum increatum, quæ fames saturari non potest, quum vas creatum bonum increatum capere nequeat. Esuries illa semper renovatur, licet omnia dona, seipso excepto, Deus conferat; nam deficit semper sapor saturitatis in fruitione.

Hæc est amoris vita (*minnenleven)*, supra rationem et intellectum, in qua ratio nihil addere vel demere potest; Dei autem tactus, prout illum sentimus, et noster amorosus ad Eum nisus, quum ambo creati et creaturales sint, indefinite, quamdiu vivimus, crescunt. Ex hac amoris procella *(storm van minnen)*, oritur nos inter et Deum

litigium amoris *(strijt der minnen)*, quum spiritus noster et spiritus Dei alter in alterum progrediantur et nitantur : homo totus amore possidetur, nihil nisi amorem cognoscit, amoris igne ardet et comburitur, in omni nisu suo vincitur, in omnibus operibus suis ad nihilum redigitur, operando seipsum excludit. Quum autem amor omnium virtutum sit fundamentum, vires animæ in unitate spiritus durare non possunt, ideoque continuo novas virtutes operantur; quo vero nobiliores virtutes agit homo, eo major fit ipsius ad Deum nisus, eoque magis ad nihilum amore ipse redigitur. — Ita, in hac amoris vita, perpetuus quidam est ad extra et in virtutes hominis effluxus, perpetua quædam ad intus conversio seu ad Deum per intimam esuriem refluxus, et perpetua tandem in simplici amore immanentia; hæc autem omnia creaturali modo et infra Deum fiunt; et supra hoc vitæ genus, non est nisi vita in divino lumine secundum Dei modum contemplativa.

VI, 136-146. III. Obviatio sponsi et sponsæ (1). Duplex obviatio supernaturalis distinguitur, duplici nostri spiritus unitati, essentiali sc. et activæ, vel imagini et similitudini Dei, in nobis existentibus, respondens :

A) Obviatio cum medio, Dei *similitudini* respondens : Christus per medium gratiæ donorumque multiplicium in nos venit, nosque ad Eum per medium, per virtutum sc. exercitia varia, accedimus. Quo intimiora dona et subtiliores motus Deus homini largitur, eo nobiliora et

(1) Initio traduntur notiones psychologicæ, a nobis superius (cfr. pp. 34 sqq.) expositæ, quæ hujus divisionis sunt fundamentum. Sequitur 146-160, *omnium virtutum ordinatio secundum dona Spiritus Sancti*, in quibus omnibus, auctor *obviationem in similitudine* et *requiem in unitate* ostendit.



delectabiliora virtutum exercitia homo operatur : continua autem in donorum infusione et in novis exercitiis fit renovatio.

B) Obviatio sine medio, Dei *imagini* respondens; est *unitas fruitiva* (*ghebrukelike enicheit)* spiritus hominis cum Deo. Deus, supra omnia dona, seipsum nobis tradit (1); spiritus noster Spiritum Sanctum, et cum eo totam Trinitatem recipit. Hæc unio omnibus justis communis est ac per solum peccatum mortale deletur; at, quo modo sit, non cognoscitur nisi ab internis hominibus. Eorum nempe spiritus in amorem fruentem cadit et demergitur, et in hac unione super omnia quiescit *(rasten)*; ex hac unione defluunt omnia dona, ipsa autem super omnia manet. Per *similitudinem* gratiæ et bonorum operum transire debemus ut ad hanc *unionem* pertingamus.

Hanc unionem alta generatione, hanc similitudinem donorum effusione, Deus jugiter fovendo visitat, vicissimque nos Ipsius visitationibus respondemus : quodlibet opus bonum, quantumvis modicum, quod amore et elevata simplici intentione sursum in Deum fertur, ampliorem similitudinem et æternam in Deo vitam meretur. Simplex intentio, qua nihil præter Deum, et omnia in ordine ad Deum intenduntur, omnes vires nostras dispersas in spiritus unitate trahit, laudem, honorem et omnes virtutes Deo offert, super omnia pertransit et Deum in simplici mentis fundo invenit.

(1) Oppositionem instituere videtur R. inter gratiam habitualem et gratias actuales. Hinc tamen non sequitur gratiam habitualem illi donum creatum non esse; R. assumit verba Patrum : *Spiritum Sanctum animam justi inhabitare*, et hanc unionem animæ cum Deo, hanc Spiritus Sancti inhabitationem semper considerat; caritas est *vinculum* (*minnenbant*) Deum inter et animam. Cfr. III, 243. VI, 9 etc.

VI, 161-167. IV. Supremum vitæ internæ punctum. — Hæc vita tres præsertim exercitationes habet :

**1$^{us}$ modus** : Aliquando homo per simplicem quemdam introspectum in amore fruitivo ad intus se vertit, et secundum fruitivam inclinationem, super omnem activitatem et super omnes virtutes, Deo *sine medio* obviat. Ex unione Dei in illum splendet quoddam lumen simplex, quod ei *caliginem*, et *nuditatem*, et *nihilum* ostendit : *caligine* circumdatus, in nonmodum *(onwisen)*, sicut in quoddam errare (*alse in een verdoelen*), cadit; in *nuditate*. omnium rerum advertentiam et discretionem amittit et simplici claritate transformatur et penetratur; in *nihilo*, ab omni actu suo deficit, quia per actionem Dei ipse ipsiusque actio devincuntur; sed in fruitiva sui spiritus inclinatione Deum devincit, et unus cum Eo spiritus efficitur. In hac unitione, devenit in quemdam fruibilem saporem, esse divinum possidet, et secundum sui ipsius in essentialem suam existentiam effluxum, Dei abyssali voluptate et opulentia adimpletur, — quæ usque in ipsum cor viresque corporales penetrat. Hic est primus modus, omni operatione vacuus, quo omnes res et virtutes transcenduntur et ad otium pertingitur *(rasten)*.

**2$^{us}$ modus** : Homo ad Deum desideranter et active se vertit, ut Ipsi honorem præbeat, seipsum et omnia quæ valet, in amorem Dei consumat : sic *cum medio* obviat. Fames ipsius ad Deum saturari nequit, sed semper renovatur.—Hic modus nobis tutior et Deo honorabilior est quam primus; est causa primi illumque præcedit, quum nullus in quietem devenire possit, nisi antea active amaverit; primum etiam sequitur, quum sine amoris exercitio Deum conservare nequeamus *(werken)*.



**3$^{us}$ modus**, e duobus aliis oriens : est vita intima secundum justitiam *(een inwendich leven na der gherechticheit)*. Deus in homine sine intermissione tum *cum medio*, tum *sine medio* descendit, vicissimque ab eo postulat, ut simul et *fruatur et agat*, neutro alterum impediente : quod vitæ internæ summum est. Homo similis est speculo duplicato, quod in quovis latere imagines suscipit : secundum partem suam supremam, Deum cum omnibus sanctis suis donis, secundum infimam, corporales imagines recipit (*rasten eñ werken*).

### § 3. *De vita superessentiali Dei-contemplativa.*

I. Præparatio sponsæ. — *Intimus* Dei amator ad vitam superessentialem Dei-contemplativam pervenire potest, modo eum Deus libere ad hunc statum evehat : huic enim sublimi Dei dono non per propriam subtilitatem, sed per gratiam paucis solum concessam, homo pertingit; hinc pauci tantum, quæ de ea dicuntur, intelligere valent (1). VI, 181-185.

Deus, uti vidimus. æternum agens est secundum modum personarum, et æternum fruens, secundum complexum personarum in unitate fruitiva sui esse. Quatenus comprehenduntur in hac essentiali Dei unitate (secundum modum primum supra dictum), omnes interni spiritus unum sunt cum Deo in amorosa sui liquefactione, et illud Cfr. p. 24.

(1) Quotiescumque de hac ardua materia R. loquitur, idem animadvertit : « doctrinam illam esse veram, sed difficilem ideoque ab illis tantum intelligendam, qui hæc sunt experti ». Illa cautio apud omnes fere Mysticos occurrit. Cfr. Dionysius, *de Theol. Myst*, c. 1, § 2 : *τούτων δε ὅρα, ὅπως μηδεὶς τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ.*

quidem unum, quod ipsum esse divinum in seipso est, secundum modum æternæ beatitudinis (1). Illis, in intimo spiritu, Pater unum verbum : *Ecce* (*siet*), loquitur; quod non est nisi generatio Filii æterni luminis, in quo beatitudo omnis cognoscitur et videtur.

Ut spiritus Deum per Deum (*cum Deo*, *met Gode*), sine medio, in illo divino lumine contempletur, tria sunt admodum necessaria :

A) Ut homo tum exterius, in virtutibus sit ordinatus, tum interius, ab omni operatione ita expeditus et otiosus, acsi non operaretur.

B) Ut interne, intentione et amore, Deo adhæreat.

C) Ut tandem in nonmodo se perdiderit et in obscuritate, in qua omnes contemplantes homines fruitive aberrarunt, nec seipsos creaturali modo jam reperire possunt.

In hac obscuritatis abysso splendet incomprehensibile lumen, quod est Filius Dei, in quo lumine homo *videns* efficitur : datur illud divinum lumen in simplici esse (2) spiritus, ubi spiritus claritatem, quæ Ipsemet Deus est, supra omnia dona et creaturalia opera recipit (3). In otiosa igitur spiritus vacuitate, in qua, mediante fruitivo amore, seipsum perdidit, claritatem Dei sine medio

(1) Secundum originalem textum ea citamus quæ a Gersonio fuerunt reprobata : *In desen ommevanghe inder weseliker enicheit Gods, sijn alle ynnighe gheeste één met Gode in minliker ontvlotenheit; eñ dat selve één, dat dat wesen selve es in hem selven, na wise der ewigher salicheit.*

(2) Ita transferendum putamus verbum *siene*, quod pro *sine* positum fuerit (cfr. VI, 137). Hæc translatio habetur apud Gerardum Groot, (Cfr. etiam Surius, p. 369 : *existentia*), et sequentibus melius congruit. Recte tamen in eadem locutione, VI, 188, uti patet ex contextu, *siene, visio*, legitur.

(3) Sententiam, maxime implicatam, sine sensus alteratione, partiti sumus. Sequentia sic sonant : ... *in die ledighe ydelheit des gheests, daer hi, overmits ghebrukelike minne, hem selve in verloren heeft, eñ onfeet die claerheit Gods sonder middel, eñ hi wert die claerheit selve, sonder onderlaet, die hi onfeet.*



recipit, et ipse eadem illa fit claritas (1), sine intermissione (2), quam recipit.

II. Ornatus sponsæ et exitus ipsius ad sponsum. — Adventus sponsi est nova sine intermissione Filii generatio et illuminatio. Deus scilicet in summa spiritus nobilitate seipsum agit (*want hier werket God hem selven in die hoechste edelheit des gheests*), et ideo hic aliud nihil est quam æterna (perpetua) quædam luminis, per lumen et in lumine contemplatio et contuitio (*een ewich scouwen eñ staren dat licht, metten lichte eñ inden lichte*). Spiritus ipsa fit amplitudo quam comprehendit (3) : sic Deus per Deum comprehenditur et videtur (*aldus wert God met Gode begrepen eñ ghesien*), in quo tota nostra consistit beatitudo. VI, 185-190.

Anima ex seipsa *exit* in divinum hoc lumen, et suam *imaginem* (4), ad quam facta est, supernaturaliter asse-

(1) Illa locutio, postea adhuc repetita, eo sensu intelligenda esse videtur, quod visio sit immediata, quod lumen non sit intermedium, sicque Deus per Deum aliquomodo videatur. Cfr. IV, 234 (in primo R. libro) : *Nochtan en is dat licht der glorien gheen middel tusscen die siele eñ dese onghemetene claerheit*. III, 214 : *Mer die claerheit en is gheen middel tusschen ons eñ Gode, want si is dat selve dat wy sien, eñ oec dat licht daer wi mede sien : maer niet onse oghe die siet. Want al is dat beelde Gods sonder middel inden spieghel onser sielen, eñ hem gheënicht, nochtan en is dat beelde die spieghel niet, want God en wert niet creature. Maer die eninghe des beelds inden spieghel is soe groet eñ soe edel, dat die siele ghenoemt is dat beelde Gods.*

(2) i. e., uti videtur, *sine temporis mora*. Cfr. VI, 186. Ita etiam videtur intelligi quod dicit R. de collatione gratiæ *boven tijt*, VI, 8, coll. 9.

(3) *Begripen*, non quidem eo sensu ut significet *cognoscibilitatem exhaurire*, sed *capere, apprehendere*. Cfr. *loc. supr. cit.*, in eodem libro, VI, 36, 159.

(4) Hic iterum, 187-188, præstituuntur notiones theologicæ de relationibus Deum inter et hominem existentibus. Huc spectant locutiones : *in hanghen* et *Gode ghelijc*, quarum latinam versionem a Surio admissam improbat Schmidt, *Mémoires...*, p. 457. — Priorem locutionem, relationibus inter *esse creatum* hominis ipsiusque *esse ideale* existentibus applicatam,

quitur. Porro, simplex fundus nostræ æternæ imaginis, i. e. (*per appropriationem*) Pater, semper in obscuritate et sine modo manet; sed infinita claritas quæ ex eo oritur, i. e. (*per appropr.*) Filius, abdita Dei in modis profert. Omnes autem homines, qui supra suam creaturalitatem in vitam contemplativam sunt sublevati, unum sunt cum hac divina claritate, et ipsa claritas ipsi sunt. Proinde, per hoc divinum lumen vident, sentiunt, et deprehendunt, sese, secundum modum suæ increaturalitatis (secundum esse suum ideale) esse ipsum simplicem fundum e quo claritas sine mensura effulget in divinis modis, ita tamen ut, secundum ipsius esse simplicitatem, simpliciter æterne sine modis intus maneat (1). Sic transformati et unum effecti cum lumine

recte a Surio, p. 370 : *dependet a*, melius tamen, p. 27 : *dependet in*, translatam fuisse censemus. Sensum a Schmidt propositum : *tient à, inhæret*, etiam Surius agnoscit, eumque in ectypo, in descriptione vitæ contemplativæ, e. g. p. 391, merito adhibet. Cfr. supra, pp. 38 sqq. — Posterior locutio, de relationibus inter *esse ideale* hominis et *esse divinum* dicta, recte etiam *Deo similis* reddita fuerit : licet enim sensum *Deo æqualis* optime patiatur, imo et in hoc commate, unitatem illius *esse idealis* cum Deo R. inculcare velit, putamus tamen, tum propter contextum, tum speciatim propter allusionem ad creationis verba, vocem *similis*, in omnibus latinis versionibus occurrentem, servandam esse. R. considerat hominis præexistentiam tum in essentia divina, quæ omnium rerum est *exemplar virtuale*, tum in intellectu divino, in quo *formaliter* et distincte omnia præexistunt, illamque vitam æternam, quam in Deo habemus, *similem* esse dicit vitæ S. Trinitatis, quum Pater, in seipso manens, æterno suum Verbum, i. e. suam sapientiam, generet. Cæterum addit R. : *Dit ghelijc es nochtan één met den selven beelde der heyligher Drivoldicheit.*

(1) *Eñ alle die menschen, die boven haren geschapenheit verhaven sijn in een scouwenden levene, die sijn één met deser godliker claerheit. Eñ si sijn die selve, eñ si sien, eñ ghevoelen eñ vinden hem selven, overmids dit godlike licht, dat si sijn die selve eenvoldighe grunt na wise haerre onghescapenheit, daer die claerheit sonder mate ute scijnt in godliker wisen, en, nader simpelheit des wesens, eenvoldich binnen blivet ewelike sonder wise.*



per quod vident et quod vident (1), per Filium sinum Patris possident et suam imaginem æternam assequuntur.

Hæc est vitæ virtuosæ merces; hæc est cœlestis vita quam hic in terra quodam modo (*in selker wijs*) habere possumus; in cœlo autem, gloria Dei nos melius et nobilius omni modo (*na alre wijs*) penetrabit.

*Exitus* hominis contemplantis est etiam *amorosus* : ipse enim, per amorem fruitivum, suam creaturalitatem transcendens, invenit et gustat divitias, quæ Ipsemet est Deus.

III. Obviatio sponsi et sponsæ. — Patrem et Filium, cum omnibus quæ juxta modum explicatum in eis sunt et vivunt, Spiritus Sanctus active et fruitive, amplectitur tanta opulentia et lætitia, ut hoc amoris prodigium omnis intellectus creati comprehensionem superet. VI, 190-193.

Ubi mirum hoc sine admiratione intelligitur et gustatur (2), ibi spiritus supra seipsum est, et unum cum spiritu Dei : gustat proinde et videt, sine mensura ut Deus, divitias quæ ipsemet est in unitate viventis fundi, ubi seipsum secundum modum suæ increaturalitatis possidet (3).

In activa obviatione Patris et Filii, homo contemplans amorose in æterno amore comprehenditur. Hæc autem

(1) ... *Soe werden sy ghetransformeert eñ één met dien selven lichte daer si met sien ende dat si sien.*

(2) Sæpius R. hoc repetit, actum reflexum excludere volendo. Cfr. V, 20 :

*Si siet alle dinc sonder wonder.*
*Verwonderen is daer beneden :*
*Sonder verwonderen is scouwende leven.*

(3) ... *Daer is die gheest boven hem selven, eñ één met den gheeste Gods, eñ smaect eñ siet, sonder mate alse God, die rijcheit die hi selve is in enicheit des levenden grondes, daer hi hem besit na wise sire ongeschapenheit.*

obviatio in suo fundo fruitiva est et sine modo : iste fundus est ipsum Esse divinum, abyssus simplicitatis et innominabilitatis, in quo perduntur contemplantes ita ut creaturali modo reperiri amplius non possint.

### ARTICULUS II.

#### DESCRIPTIO TRIPLICIS VITÆ JUXTA DIVERSUM GRADUM ABNEGATIONIS VOLUNTATIS.

Juxta verbum quod duobus clericis Parisiensibus respondisse refertur : «Vos estis tam sancti quantum vultis... Mensura enim vestræ sanctitatis dependet a bonitate vestræ voluntatis (1) », totius christianæ perfectionis summam R. ponit in abnegatione propriæ voluntatis ipsiusque absoluta sub manu Dei resignatione, in deletione cujusvis « proprietatis » in homine (2). Diversum, pro diverso gradu abnegationis, gradum sanctitatis, in libro *de calculo* præsertim explicat, adhibita « distinctione præclarissima (3) » inter « servos fideles, amicos familiares et filios Dei occultos (*ghetrouwe knechten — heymelice vrienden — verborghene sonen)*».—Distinctio inter amicos et servos Dei apud Mysticos sæculi XIV haud insolita est; fundatur in verbis Christi : « Jam non
JOANN., XV, 13-15. dicam vos servos... vos autem dixi amicos », illaque præcipue usi sunt ad diversos relationis familiaris cum

(1) POM., l. II, c. 13, in *Anal.*, pp. 292-293. Cfr. ibid., c. 12, p. 291.

(2) Triplicem gradum mortificationis in vita activa optime explicat R. II, 21 : 1° *Paupertas voluntatis* (*aermoede van wille*), qua *bona exteriora* despicimus. 2° *Pœnitentia, dura vita* (*een hart leven*), qua *corpori* dominamur. 3° *Recta intentio* (*rechte intencie*), qua *voluntatem* Deo integre subjicimus.

(3) DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *De donis Spiritus Sancti*, tr. III, a. 7.



Deo gradus significandos : « quia servus nescit quid faciat dominus ejus »... « quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Imo, apud eos, locutio « amici Dei » sensum peculiarem habet, illosque omnes designare videtur, qui per contemptum mundi et sensuum mortificationem christianæ student perfectioni (*Gottesfreunde*). Hæc vocis acceptio specifica, sæpius in operibus auctorum coævorum Eckhart, Tauler, Suso occurrens, nullibi in operibus R. deprehenditur (1). Distinctio autem *filios Dei* complectens, R. propria (2), quamque sequentes auctores mystici, uti Dionysius Carthusianus (3), Henricus Harphius (4), sunt secuti,
iterum in terminologia fundatur scripturistica : « Qui VI, 217.
cumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ». — Illa ROM., VIII, 4. Cfr. 15.
triplex distinctio triplici vitæ mysticæ applicatur : « Deus nos mittit foras, tanquam fideles servos suos, ad sua servanda præcepta; rursusque intro nos vocat ceu secretos amicos suos, si tamen illius consiliis morem gerimus; simul etiam suos nos filios esse nobis reddit
manifestum, modo vitam mundo contrariam agamus ». VI, 219.
— Quam distinctionem paucis expendamus.

I. SERVI FIDELES infimam partem « familiæ Dei » con- VI, 207-209.
stituunt; ipsi omnia legis mandata custodiunt, virtutumque opera præcepta exsequuntur. Magnum tamen existit discrimen eos inter et *mercenarios* (*ghehuerde knechten*). Hi quidem eadem opera exercent, sed semper

(1) Excepto forsan libro dubio *de duodecim virtutibus*, III, 92 : *die vrient Gods*.

(2) Cui tamen prævius S. BERNARDUS, *Tractatus de diligendo Deo*, *præs*, cc. 13 et 14. servos, mercenarios et filios Dei distinguens.

(3) *De contemplatione*, l. III, c. 23.

(4) In toto libro secundo *Theologiæ Mysticæ*.

timore acti ne in infernum cadant, vel æternam beatitudinem amittant; licet autem ille metus optimus sit, et
Ps. CX, 10. secundum Prophetam, « initium sapientiæ », præsertim si e posteriori oriatur motivo, provenit tamen ex naturali, quæ singulis hominibus inest, ad beatitudinem inclinatione, ideoque in amore proprio magis resolvitur, quam in amore Dei. *Mercenarii* seipsos, potius quam Deum, in omnibus operibus suis quærunt et intendunt. Econtra *servi fideles* non timore, sed amore moventur; supernaturali gratia illuminati et moti, rectum amorem consequuntur, omni « proprietati » voluntatis valedicunt, Deo omnia sibi necessaria committunt, Illumque in omnibus operibus suis intendunt et amant (1). — Hic est primus gradus, qui *puritas et simplicitas intentionis* denominari potest.

VI, 210-212. II. Amici secreti vel familiares non tantum præcepta Dei custodiunt, sed Ipsius « vitalia consilia » exsequi curant; non tantum omnia sua opera ad laudem et honorem Dei dirigunt, sed præ operibus externis, « internam amorosam ad Deum adhæsionem » eligunt, « cum abnegatione voluntaria eorum omnium quæ extra Deum cum voluptate et amore possideri possent ». *Servi* quidem *fideles* solliciti sunt ut in sua intentione nec « ficti » sint, nec « duplices », Deumque in omnibus suis operibus quærant; at, quoniam in operibus externis occupantur, sæpius iis sunt implicati, magisque opere

(1) Oppositio quæ institui videtur inter timorem naturalem et amorem supernaturalem non potest nimis urgeri, sicut nec oppositio quæ VI, 8-9, habetur inter vocationem naturalem et supernaturalem. R. has voces sensu lato accipit, adeo ut secunda vocatio « magis sit supernaturalis », si ita loqui fas est, i. e. « efficacioribus auxiliis » fiat. Cfr. Thomas a Jesu, *De oratione divina*, l. II, c. 1, qui eodem loquitur modo.



quod exsequuntur, quam Deo, propter quem illud faciunt, « depicti sunt ». *Amici* autem *intimi* vitam internam elegerunt cum amorosa ad Deum adhæsione, ideoque, nullo impedimento detenti, in Deo super opera sua quiescere possunt. Amici optimam partem cum Maria elegerunt; servi, operibus externis deputati, sæpe cum Martha, illos, quod otiosi sint, increpant : at amici, quando necesse est, etiam sunt servi; nemo enim consilia Domini sequi potest, qui mandata ipsius prius non observaverit. — Hic est secundus gradus, qui vocari potest : *Quies in Deo supra exercitia virtutum.*

III. Filii occulti ad majorem perfectionem pervene- VI, 213-225.
runt, siquidem quidquid « proprii » in ipsis erat, etiam « modi » et « imagines » in eis sunt deleta; ideo « intimius » adhuc inter eos invenitur discrimen et amicos fideles. Utrique quidem ante conspectum Dei cum exercitatione interna æque sunt erecti et sublevati; sed *amici* suam internam exercitationem cum « proprietate » quadam possident. Quum enim suam amorosam ad Deum adhæsionem eligant, tanquam optimum et celsissimum quod habere possint vel *velint*, seipsis adhuc suisque operibus « depinguntur » nec transire possunt ad « indepictam seu imaginum expertem nuditatem ». Seipsos quidem cum Deo unitos esse sentiunt, at Deum inter et se discrimen semper inveniunt; dona Dei magnipendunt, nec in Deo, supra istos Ipsius « nuntios », quiescere valent; non « consumuntur », non « annihilantur » in nudo amore; sibi ipsis non totaliter moriuntur nec « in amorem sine modo transeunt », « ad deiformem vitam agendam ». — *Filii* autem *occulti* seipsis omnique « proprietate » exuuntur; in Deo ex puro amore moriuntur, inibique novam inveniunt vitam juxta verbum Apos-

COL., III, 3. toli : « Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo ». Super esse suum creatum elevati, ad supersubstantiales Dei divitias pertingunt, absorpti sunt in fruitiva unitate Dei; Deum possident, eaque felici possessione fruuntur. Ideo eis applicari potest verbum Apocalypsis : « Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis;
APOC., XIV, 13. opera enim illorum sequuntur illos ». Super omnia rationis opera in Deum viva fide ingressi, illic simplices, otiosi, imaginibus vacui, atque per amorem in patentem mentis nuditatem sublevati manent; aguntur et superinformantur spiritu Dei, perduntur in « non modo » et « abyssali » quadam obscuritate, gustant simplicem quemdam saporem, immensum quoddam bonum, quod nec apprehendere nec intelligere possunt. Licet Deus effici, creatumque esse suum amitti nequeant, a Deo tamen quodammodo extra seipsos trahuntur, duplicem quodammodo vitam habent, alteram activam in seipsis, alteram otiosam in Deo quocum unum facti sunt (1). Hanc tamen otiosam vitam agentibus, semper remanet scitus vivus et amor activus; nam « sine nostra cognitione, Deum possidere non possumus, et sine amoris

(1) *Filiis Dei* videtur R. tribuere certitudinem salutis (VI, 215). Hanc opinionem, aliis quibusdam Mysticis communem (cfr. THOMAS A JESU, *De div. or.*, l. 4, c. 18, 9ª obj.) in aliis suis libris repetit R, se tamen Ecclesiæ judicio submittens. Cfr. V, 274 : *Dit woert hebbic dicwile ghescreven; mer ic vertie mijns selfs, ende late mi onder die ewighe waerheit, eñ onder dat ghelove der heiligher kerstenheit, eñ onder die leraren die die heylighe Scrifture, overmits den heylighen Gheest, hebben onbonden. Mer dat ic ghevoele, dat moet mi bliven : ic en mach uut minen gheeste niet verdriven; al sout mi al die werelt vromen, ic en mocht niet twivelen noch Jhesum mistrouwen dat hi mi soude verdoemen. Alsic contrarie hore, dan willic zwighen.* Hanc opinionem carpsisse Gerardum Groot tradit POM, l. II, c. 10, in *Anal.*, p. 290.



exercitatione Deo uniri et uniti manere non valemus. Si enim sine nostra cognitione beati esse possemus, beata etiam esse posset lapis, quæ nullam notitiam habet... » Ideo, Christus in hac cognitione vitam æternam posuit : « Hæc est, ait, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum ». — JOANN., XVII, 3.
Hic est tertius gradus, qui *vita otiosa in Deo super omnem proprietatem*, vocari potest.

Trium illorum statuum etiam meminit R. *in speculo æternæ salutis* : « Si reprimamus nostram naturam... per nostram voluntariam pœnitentiam, Christo unimur et Ipsius servi fimus. Ubi nostræ propriæ voluntati in Dei voluntatem morimur, Ipsiusque nostra fit voluntas, Ipsius sumus discipuli et electi amici. Ulterius, si per amorem elevati sumus, nostraque mens nuda stat et indepicta, *quemadmodum a Deo creata est*, tunc spiritu Dei agimur et sumus Dei filii ». III, 139.

## ARTICULUS III.

### DESCRIPTIO TRIPLICIS VITÆ JUXTA TRIPLICEM HOMINIS UNIONEM SEU UNITATFM.

Summum triplicis vitæ punctum, unionem scilicet animæ cum Deo, quæ obscurissima est totius systematis theoria, R. iterum iterumque explicat, ita ut pantheismi quidem accusationem a se repellat, non tamen suam sententiam in aperto ponat. In libro *retractationis* sive *Samuel*, triplicem hominis unionem cum Deo. cujus cæterum aliis in libris facta est mentio, perspicuo ut putat, modo exponit, sicut ex subjunctis ipsius verbis patet : « Equidem hac vice mentem meam planius ex- VI, 268.

VI, 225-230. plicare nequeo ». Hanc distinctionem, collatis etiam
V, 40-47. locis librorum *de calculo* et *de duodecim beghinis*, ubi de differentia Deum inter et hominem sermo est, breviter exponemus.

Triplex in ordine supernaturali distinguitur animæ cum Deo unio; unio *per medium*, *sine medio*, *sine differentia (overmits middel, sonder middel, sonder differencie ofte ondersceet)*. Hæc triplex unio gratiam habitualem supponit, et in vitæ mysticæ operationibus consistit. Quemadmodum Deus in anima justi cum omnibus suis donis effluit (*uutvloyen)*, illam ad unitatem suam attrahit (*intrecken*), et secundum nudum *esse* divinitatis, essentialiter seipso fruitur *(een weselic ghebruken nader bloten wesene der Godheit)*, ita anima ex sua parte agit *(werken)*, attactum divinum patitur (*ghedoghen*), et
VI, 266. in suo superesse fruitur et quiescit (*in overwesene rasten)*.

I. Unio cum medio, quam justi omnes possident, est unio voluntatis humanæ cum voluntate Dei, sive adimpletio omnium Dei præceptorum. « Medium illud constituunt gratia Dei, et sacramenta sanctæ Ecclesiæ, et divinæ virtutes : fides, spes, caritas, et vita virtutum studiosa secundum mandata Dei; ad illam unionem pertinet mors et renuntiatio totalis peccato et mundo, et cuivis inordinato naturæ appetitui. Per illam, sanctæ Ecclesiæ, i. e. omnibus hominibus justis, uniti sumus, Deo obedientes, uniusque cum Eo voluntatis, sicut conventus bonus cum suo prælato unitus est; sine illa,
VI, 243-244. nemo Deo placere nec salvari potest ». Qui hanc unionem ad mortem usque servaverit, is est de quo dixit Christus : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam



quam tu dedisti mihi ». Medium igitur sunt : ex una JOAN., XVII, 24.
parte, gratia Dei quæ nos illustrat et ad bonum movet; ex altera parte, virtutes nostræ, opera nostra bona,
quibus secundum Dei motionem, ad diversa « eximus ». VI, 225-226.
In hac unione, « Deus in nobis per gratias suas manet»,
nosque Illi, supra naturam, similes sumus. V, 41-42.

II. Unio sine medio, est unio animæ cum Deo per excessum amoris, per amorem liquefactivum, fruitivum. Homo qui primam unionem possidet, ad hanc brevi perfectionem devenit, ut in omnibus sibi contingentibus, — sive maxima spirituali suavitate jucundetur (*hemelsche ghesonde*, quod ab aliis Mysticis *unio suavis* sæpe dicitur), sive in gravissimam dejiciatur derelictionem (*helsche quale, unio obscura)* — æquali semper sit animo, « infernum in cœlum transferat », Deumque semper, per gratiam in se commorantem, affectuose contempletur : quæ
dispositio est ad hanc unionem necessaria. — Quando VI, 250-252.
nimirum se omnesque vires suas ad Deum activo amore applicat, « sentit suum amorem, in suo fundo, ubi incipit et desinit, fruitivum esse et immensum. Si ulterius, cum amore suo activo, in amorem fruitivum niti et penetrare velit, ibi jam cedant necesse est omnes animæ ejus vires, ferantque et patiantur veritatem et bonitatem quæ
Deus ipse est. » « Deus enim semper est in esse animæ; VI, 253.
cumque vires supremæ activo amore intus se recolligunt, Deo sine medio conjunguntur in simplici cognitione omnis veritatis, et in essentiali omnis boni expe-
rimento et gustu »; hæc unio verbis Christi respondet : JOANN., IV, 16.
« Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. » VI, 254.

Hanc unionem intimam, comparationibus apud Patres adhiberi solitis, R. explicat : Quemadmodum ferrum in ignem quadamtenus transmutatur omnesque ignis pro-

prietates acquirit, quemadmodum aer solis splendore et calore penetratur totumque mundum, ut ipse sol, illustrat et calefacit, eodem modo nos in Deum transformamur, deiformes (*Gods formich* = θεοειδεῖς νόες apud Pseudo-Dion.) fimus, et superinformationem Dei in totalitate
VI, 227. nostrummetipsorum accipimus (*ontfaen wi die overforminghe Gods in alheit ons selfs*). Sicuti autem ferrum ignis non fit, nec ignis ferrum, sed ferrum in igne est, et ignis in ferro (idemque de aëre dicendum est), ita Deus non fit creatura, nec creatura Deus, sed Deus in homine vivit et homo in Deo. Si enim res materiales, quas condidit, sic sine medio unire potest Deus, quanto melius dilectos suos secum conjunget, modo ad illam unionem per gratiam se paraverint! Homo nempe, ad talem statum elevatus, « nihil medium inter se et Deum habet nisi suam illuminatam rationem et suum activum
VI, 254-255. Cfr. V, 35-39. amorem, quibus duobus Deo adhæret, quod est, ut ait S. Bernardus, unum effici cum Deo »; « ipsius intellectus nudus æterna claritate penetratur, sicut aer lumine solis, ipsiusque voluntas immenso amore, sicut igne ferrum, superinformatur; ipsiusque memoria seipsam comprehensam sentit in immensa indepictione (*ene grondelose onghebeeltheit*) ». Omnes potentiæ in essentia animæ sunt *simplificatæ*, quæ sic una et trina, sui
VI, 265. æterni exemplaris imaginem profert.

VI, 254. Cfr. 262-263. III. Unio sine differentia, quæ dici potest *illapsus passivus*, est experimentalis de Deo in animam illapso sensatio, cum suspensione omnium potentiarum ab actibus, qui a Deo distrahunt; quam homo nonnisi in absorptione amoris possidere potest. Hæc unio a præcedenti vix differt : discrimen in eo ponere videtur R., quod secunda unio, essentiæ quidem animæ substantialis (habi-



tualis), viribus autem accidentalis tantum sit (viribus nempe in sua introversione deficientibus), quum econtra tertia hæc unio sit novus Dei illapsus in ipsas vires (1). Intellectus fit « nudum intelligere in divino lumine », « quoddam immensum nescire », « quoddam essentiale intueri super rationem et sine ratione »; voluntas autem « nudus quidam, otiosus, sine modis amor »; stant omnes vires otiosæ in quadam « essentiali fruitione » (*scouwen — minnen — ghebruken*) (2). Omnes spiritus contemplantes *per fruitionem* defluunt in Esse divinum, absorbentur in abysso immensæ beatitudinis, sunt una fruitio et una beatitudo cum Deo, sine differentia. Illa beatitudo soli Deo essentialis, contemplantibus autem superessentialis est, nam nullum esse creatum cum Esse Dei unum fieri et in seipso deficere seu creaturalitatem amittere potest; secus enim creatura Deus fieret, quod est impossibile. Sed, cum unio per fruitionem consummetur, tanta contemplantis est beatitudo, ut anima, sui amoris suæque cum Deo unionis solum conscia, nihil aliud advertat. Hoc modo, omnes spiritus contemplantes unum sunt in Esse Dei, quod in sua immensa beatitudine omnes sine discrimine complectitur; et in eis adimpletur oratio Christi Patrem suum deprecantis ut omnes ejus
amici in unum per Spiritum Sanctum consummarentur, Joan., XVII, 21, coll. 23. Cfr. R. VI, 263-264.
eo modo quo ipse et Pater unum sunt. — Discrimen tamen semper sentiunt illi spiritus elevati inter se et Deum;

(1) *En hier omme eest den crachten toevallich, overmits stervenden inkeer in minnen, mer het is den wesene weselic en altoes in blivende.*

(2) *Een bloet verstaen, een bloet scouwen boven alle beelden in godliken lichte, een weselic instaren boven redene en sonder redene, wiselose minnen, blote ledighe minnen, ghebrukelike neyghen doervlidende alle wisen, ledich staet*, etc. His et similibus negantibus locutionibus R. hunc statum explicat, VI, 263 sqq.; V, 30 sqq.

tamdiu enim solum contemplari, amare, et frui simpliciter possunt, quamdiu sine consideratione, inclinato spiritu et aperto oculo stant; eo autem instanti, quo, quid sentiant, considerare et probare volunt, ad rationem relabuntur, seque inter et Deum discrimen inveniunt. Præterea, licet Deum possideant, semper advertunt longe plus eis deficere quam illud quod habent; ideo ad majorem Dei possessionem assequendam anhelant, quod
VI, 227-230. propter Dei immensitatem et infinitatem denegari debet.

Supra hanc cognitionem Dei per excessum in « non modum », non est nisi Ipsius, ut in se est, intuitio : magnum enim semper discrimen remanet inter lumen gloriæ, et lucidissimum lumen quod hac in terra assequi potest homo. Discrimen præsertim e statu, qui mediat, procedit : idem enim sol in beatos et in viatores lucet, sed, quum sanctorum status sit gloriosus, ideo solis splendorem sine medio suscipiunt; quum autem noster status, adhuc imperfectus, medium sit umbram faciens, ideo impedit ne tam clare ut sancti, Deum et res cœles-
VI, 230-234. tes cognoscamus. — Sub hoc respectu pulchra inter noctem, auroram et mediam diem instituta comparatione, diversum judæorum, christianorum, et sanctorum statum graphice R. depingit.

---

# PARS POSTERIOR.

**De meritis Joannis van Ruysbroeck.**

Perspecta jam R. doctrina, superest ut paucis indagemus quodnam ipsius fuerit in res suæ ætatis et in posteros momentum. Ut autem ex præcedentibus patet, duplici potissimum sub respectu, speculativo nempe et practico, R. indoles est perpendenda; eadem igitur divisione quam in priori parte usi, de R. meritis agemus, tum prout speculativus contemplator, tum prout practicus reformator nobis exhibetur.

## CAPUT PRIMUM.

### DE MYSTICISMO SPECULATIVO JOANNIS VAN RUYSBROECK.

Prima nobis occurrit solvenda quæstio, quasnam R. partes habuerit in controversia cum pseudo-mysticis coævis; qua doctrina polemica exposita, velut quodam theticæ tractationis, superius traditæ, complemento, pantheismi accusationem adversus R. latam discutere, et æquum de eo ferre judicium poterimus. Hæc excipiet brevis discursus de relationibus ipsius cum famosis Germaniæ Mysticis.

## ARTICULUS I.

### DE CONTROVERSIA JOANNIS VAN RUYSBROECK CUM COÆVIS PSEUDO-MYSTICIS.

### § 1. *Notiones historicæ.*

Quum, inde a sæculo XIII, apud multos restaurandæ disciplinæ ecclesiasticæ fervor vigeret, in omnibus fere Europæ regionibus surrexerunt viri quidam sectarii, qui, in clerum ipsiusque vitia declamarunt, et auctoritatem Ecclesiæ mox aggressi rejecerunt; simul autem falso spiritualismo, quo errores suos tegerent, plerumque adhærebant. « Ubique volitabant mente capti et fanatici, qui nescio quam omnium animæ virium et facultatum extinctionem, mentisque in ipsam divinam naturam transitum somniarent, discipulosque ad stultam pietatem, turpidinique vicinam abducerent (1). » — Ab his etiam immunis non fuit nostra regio : « Ex Italia in Alemanniam et Franciam progressa gens sese flagellantium, (gens) sub specie pietatis et religionis doctos et indoctos, nobiles et ignobiles magno numero sibi attraxerunt, qui flagellis nodosis quibus aculei seu acus inserti erant se flagellabant ad ostentationem : statimque ex tanta colluvione inordinati populi scatere ac pullulare multi errores ceperunt in diversis locis circa fidem et sacramenta Ecclesiæ (2). »

(1) Moshemius, *Institutionum Hist. Eccl. libri quatuor.* Helmst., 1755, p. 595. Ipse in nota addit : *Vid. Joh. Ruysbroeckius, qui graviter in eos invehitur.*

(2) P. Impens, *Chron. Bethl.*, f° 19, e quo Mastelinus, *Nec. V. V.*,



Præter illos *flagellantes*, in Belgio *Begardorum* et *liberorum spirituum* hæresis vulgabatur, quæ a Clemente V in Concilio Viennensi (a. 1311-1312) damnata (1), nihilo tamen minus in nostris provinciis, præsertim vero Bruxellis, sese latissime diffudit (2). Hujus doctrinæ eo tempore præcipua fautrix perhibetur fuisse mulier quædam Bloemardina nomine, de qua in *vita* R. a Pomerio (3) conscripta sequentia legimus : « Erat eo tempore quo Dei famulus (R.) adhuc presbyter mansit in seculo mulier quædam perversi dogmatis Cfr. p. 4. dicta vulgariter *Bloemardinne*, tantæ famæ et opinionis ut etiam tempore sacræ communionis, quando videlicet ad aram accederet, inter duos gradi seraphim crederetur. Hæc multa scribens de spiritu libertatis et nefandissimo amore venereo, quem et seraphicum appellabat, tanquam inventrix novæ doctrinæ a multis suæ opinionis discipulis venerabatur. Sedebat quippe docens et scribens in sede argentea, quæ quidem sedes, ob suæ opinionis redolentiam, post ejus obitum ducissæ Brabantiæ dicitur fuisse præsentata. Cujus etiam defuncti corporis attactu claudi se putabant posse consequi sanitatem. Huic igitur errori compatiens vir plenus

p. 27. Cfr. Jan de Klerk, *De Brabantsche Yeesten*, ed. Willems. Brux., 1839, p. 590 :

> « ... *met selke slaghe*
> *Sloeghen si op haer lyf al bloet,*
> *Dattert bloet uut liep al roet,*
> *Met gheeselen die yseren waren.* »

(1) Cfr. Denzinger, *Enchiridion.* Wirc., 1865, p. 171 : *Errores sectæ Beguardorum et Beguinarum.*

(2) Cfr. Mast., *op. cit.*, p. 91.

(3) Lib. II, c. 5, in *Anal. cit.*, p. 286 ; quæ narratio fere ad verbum citatur in Hoyberg., *Notationes in Joann. Lat. Corsend.* Antv., 1644, pp. 85-86, ubi Joanni Meihout attribuitur. Discrimina in margine notamus.

spiritu pietatis, illico perversæ se doctrinæ opposuit; et quamvis multos haberet æmulos, scuto circumdatus veritatis, scripta fucata et hæretica quæ tanquam divinitus inspirata illa
tot annis. quotannis in fidei nostræ derogationem disseruit, ipse veraciter denudavit. In quo profecto spiritum sapientiæ et fortitudinis sibi ostendit satis imbibitum, non veritus insidias æmulantium, nec fuco deceptus falsorum dogmatum sub consonantia veritatis.
Deficiunt. * Expertus enim do testimonium,* quod scripta illa nefandissima taliter fuere prima facie veritatis specie supervestita, quod nemo possit erroris deprehendere seminarium, nisi per Illius gratiam et auxilium qui docet omnem veritatem. » — Ruelens, in opere posthumo quod brevi, curante D. Vercouillie, universitatis Gandavensis professore, prodibit, illam eam mulierem esse putat, sub nomine *Zuster Hadewijch* designatam, quæ lingua vulgari tum *ritmata*, tum solutæ orationis opuscula (*epistole*, *visiones*) scripsit; ex inspectis textibus jam editis (1), nobis non liquet quæstionem esse solutam : ulterius e textibus a D. Vercouillie edendis forsan clarius affulget lumen. — Schmidt (2) hypothesim profert eam esse Mariam (Blommaerts ?) de Valenciennes, de qua in operibus Gersonii occurrit mentio. Tum eis quæ a Pomerio traduntur, tum eis, quæ adversariis suis R. imputat, satis congruunt quæ de femina ista a Gersonio narrantur. Illa, quam viderat et allocutus erat Gerson, « prophetissa et miraculorum operatrix reputata est a multis; » « hæc tandem dixit et scribi jussit quod spiritus suus Deum contemplando fuerat annihilatus vera

(1) HEREMANS en LEDEGANCK, *Werken van Zuster Hadewijch*. Gent, 1875.
(2) SCHMIDT, v° *Ruysbroeck*, in HERZOG, *Real Encyclopädie*.



annihilatione et tunc recreatus; et dum quæreretur qualiter hoc scire potuerat, dicebat se expertam (1); » quoddam libellum « incredibili pene subtilitate » composuerat, in quo agebat « de prærogativa et eminentia dilectionis divinæ, ad quam si quis pervenerit, fit secundum eam ab omni lege præceptorum solutus, adducens pro se illud ab Apostolo sumptum : *Charitatem habe et fac quod vis* (2). » — Quæ sententia si vera sit, quum Gerson anno 1363 natus sit, Bloemardina sub finem sæculi XIV obiisse dicenda est; ut autem in tuto sit Pomerii assertio, quum anno tantum 1349 R. religionem professus fuerit, sufficit ut ante hunc annum Bloemardinam Bruxellis prædicavisse dicamus. — Cæterum, Bloemardinæ hæresis non statim exstincta est, sed anno 1410 iterum Bruxellis recruduit, fautoribus præcipuis Ægidio Cantoris « laïco illiterato sexagenario, » et Wilhelmo de Hildernissen, carmelita; hanc sectam, nomine *hominum intelligentiæ* designatam, hæresim Bloemardinæ professam esse tradunt auctores (3); putamus autem non aliam fuisse quam Bloemardinam illam « quamdam antiquam, quam dictus laïcus vocavit seraphin, quæ palam dixit quod licet extra matrimonium coitum exercere sine peccato (4), » quæque Wilhelmo subtilitates ad perver-

(1) *Ep. ad fr. Barth. contra defens. Joannis de Scoenh.*, in *Gersonii Opp.*, ed. Du PIN, p. 82. Autumamus hic agi de eadem Maria ac in tractatu *de dist. verarum vis. a fals.*, ad quem Gerson remittit. Huic forsan alludens, addit auctor *vitæ R.* apud Surium editæ, postquam R. cum Bloemardina controversiam narravit : « Et tamen non defuerunt, qui hunc virum sanctissimum in istiusmodi errorem incidisse putarent » (c. 5).
(2) *De dist. verar. vis. a falsis*, ibid., p. 55.
(3) HOYBERG., *Not. in Joann. Latom. Corsend.*, pp. 84-87. — MASTELINUS *Necr. Vir. Val.*, pp. 91, 92.
(4) *Errores sectæ hominum intelligentiæ*, *prop.* 11ª, in BALUZ., *Miscellanea*, II, p. 282.

sam doctrinam tegendam insinuasse apud Episcopum Cameracensem delata est (1).

Quidquid sit, eamdem hæresim, morum destructivam, professi fuisse videntur tum *Begardi*, tum *liberi spiritus*, tum *homines intelligentiæ*. Liberorum autem spirituum nominis origo traditur in propositione 3ª a Clemente V in Begardos damnata : « Quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritu libertatis (contemplantes), non sunt humanæ objecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia (ut asserunt), *ubi spiritus Domini, ibi libertas* (2) ». — Eorum doctrinam ex operibus R. depromere nobis licet : in omnibus enim suis libris, R. errores mysticos, suo tempore vigentes, systematice exponit et confutat. Hunc autem ordinem in expositione nostra sequemur, ut uniuscujusque vitæ mysticæ contraria seorsim describamus; quem cæterum ordinem plerumque R. observat.

## § 2. *Exponitur controversia R. inter et sectas mysticas.*

I. Vitæ activæ impedimenta (3). Vitæ activæ exercitia non observant tum infideles et christiani omnes qui in publicis peccatis mortalibus (4) vivunt, qui omnes, utpote indigni, Dei dona non recipiunt; tum etiam illi qui, licet aliqua virtutum opera peragant, in iis tamen magnopere deficiunt. Illorum autem præcipui sunt :

(1) *Prop.* 15a, ibid., p. 283. — Cfr. ibid., pp. 290, 291.

(2) Denzinger, *op. cit.*, p. 172.

(3) Huc pertinent omnes peccatorum enumerationes : *eorum sc. qui Dei donis sunt indigni* (IV, 144-155); quæ, non sine allusione ad primum locum, repetitur VI, 204-207; *eorum qui S. Eucharistiam recipere non possunt* (III, 197-207), etc.

(4) IV, 147 sqq., ubi exponitur comparatio inter paganos, judæos et christianos, illi similis quæ habetur apud S. Thom., *S. T.*, 2. 2. q. 10, a. 6.



1° Homines *ficti* (*ghevensde*), qui sanctitatem simulant, vel ad honorem humanum adipiscendum, vel ob lucrum temporale, vel propter gulam, vel tandem ut sua tegant peccata. 2° Homines intentione *duplices* (*twevoudich*), qui falsa præditi prudentia, simul et terrena et cœlestia possidere cupiunt. 3° *Mancipia*, sive servilis conditionis homines (*eyghine dienstknechte*), qui non honorem Dei, sed suum proprium commodum semper quærunt. 4° Homines *superbi et propriæ voluntatis* (*hoverdich eñ eyghens willen*), qui subtiles sunt, suique ipsius magnam habent opinionem.

Uti apparet, ex defectibus in intentione occurrentibus, suæ concors doctrinæ, vitæ activæ impedimenta R. depromit; hæc autem in *actibus* potius quam in theoriis constant; sectarum autem *doctrinam* in duplici subsequenti stadio R. exponit.

II. Errores circa vitam internam recenset R. in secundo *Nuptiarum spiritualium* libro, parallele ad rectam doctrinam, quam ibidem tradit, de triplici supremo modo vitæ intimæ. Sunt autem : VI, 167 180. Cfr. pp. 83 sqq.

1° *Falsa otiositas* (*valsche ledicheit*), sive quietis mere naturalis prosecutio. — Omnes nempe creaturæ quietem naturaliter appetunt : illam naturalem quietem aliqui assequi cupientes, seipsos ab omni imagine evacuant, nullam actionem, nec internam, nec externam, jam exercent. Eorum status, a *statu otioso* per gratiam aliquibus concesso multum discrepans, non est licitus, omniumque errorum, præsertim vero *superbiæ spiritualis*, radix est et origo, quod Angelorum lapsus luculenter ostendit.

2° *Luxuria spiritualis* (*gheestelike oncuyscheit*), ex primo errore oriens. — Est naturalis inclinatio hominis

ad seipsum in naturali amore; mercatori similis, homo ad seipsum conversus, suum semper lucrum, etiam in spiritualibus exercitiis, quærit et amat; hinc, sicut Adam qui inordinata suipsius dilectione deliquit, in magna sæpe corruit peccata. Difficile autem sæpe est caritatem ab amore proprio discernere, utpote quæ sint veluti duo unius capitis pili : opera externa similia esse possunt, intentio autem differt.

3° *Vita injusta, spiritualibus erroribus et omni perversitate plena* (*een ongherecht leven, vol gheesteliker dolinghen eñ alre verkeertheit*). — Duplicis generis sunt homines qui talem vitam agunt :

*a*) Alii putant se Dei-contemplativos esse, et omnium sanctissimos; per suam otiositatem et naturalem quietem quam sentiunt, se *liberos* esse et Deo unitos autumant; omnia Ecclesiæ exercitia, mandata Dei, omnem denique legem spernunt; omnes actiones negligunt seque ut pure passivos, influxum Dei more instrumenti recipientes, considerant; nemini obediunt, suamque otiositatem quibusvis virtutum operibus sanctiorem habent; imo se haud amplius in virtutibus proficere nec mereri posse profitentur, nam unum sunt cum Deo et in seipsis annihilati. Corporali naturæ quidquid cupit concedunt, ne in sua cum Deo unione sint impediti. — Hi sunt pauci, sed pessimi et perniciossimi qui vivant (*die quaetste eñ die scadelijcste die leven*); aliquando adeo sunt subtiles, ut ratione devinci non possint; nostra autem fides illos errare probat.

*b*) Altera est Dei-passivorum (*God lidende*) secta. Profitentur hi Deum in seipsis omnia agere; sine actione et sine electione vivunt, ideoque externum sæpe bonorum vivendi modum præ se ferunt; stimulos quoscumque, quos sive ad bona, sive ad mala sentiunt, a Spiritu Sancto procedere putant; dicta sua subtiliter explicare valent; in iis autem retinendis ita sunt pertinaces, ut mori potius quam ea dimittere mallent. In hoc autem a prioribus differunt, quod se posse proficere non negant, sed econtra asserunt sua opera amplius mereri, utpote Dei actiones. — Hi sunt prænuntii Antichristi, damnatis spiritibus similes, et magis vitandi quam ipse diabolus. Fides nostra aperte probat illos omnes errare; speciatim autem opponit R. : « agere Dei in seipso est æternum et immutabile; nam (in seipso) Deus seipsum agit et nihil aliud. Et in hac actione non est profectus nec meritum alicujus creaturæ, nam hic nihil aliud est quam Deus, qui nec elevari nec deprimi potest. Sed creaturæ per virtutem Dei suas proprias actiones in natura, in gratia, et etiam in gloria habent... Quod si possibile foret, ut revera est impossibile, spiritualem creaturam, quoad suam actionem, penitus ire in nihilum, adeoque vacuam seu otiosam fieri, ut tum erat cum nondum erat, hoc est, adeo unum cum Deo fieri secundum omnem modum quo tum erat (unum, secundum esse suum ideale), non posset sane quicquam mereri, non magis quam tunc poterat; nec magis sancta et beata esset, quam lapis vel lignum; nam sine nostra propria actione, sine amore et cognitione Dei, beati esse non valemus. Deus autem esset beatus sicut ab æterno erat, VI, 178.
et de hoc nobis melius non esset ».

III. Errores circa vitam contemplativam a præcedentibus non multum discrepantes, R. ordinate exponit in libro de ***duodecim beghinis***, eos ad quatuor præcipua V, 49-65.
puncta reducens, quæ ex jam descripta falsa otiositate procedunt :

1° *Alii Spiritum Sanctum Ejusque misericordiam (ghenadicheit) impugnant :*

*a) Eorum doctrina :* Sunt ipsum Esse Dei, supra divinas personas, ideoque ita otiosi ac si non essent; nam esse Dei non operatur, sed Spiritus Sanctus, ipse operatur; illi autem sunt supra Spiritum Sanctum, nec Eo, nec ipsius gratia indigent : nihil enim eis nec creatura, nec ipse Deus tribuere potest. — Eorum anima ex substantia Dei facta est, in quam post mortem sunt reversuri. In gloria, nullum est mercedis, inter bonos et malos, nec aliud quodcumque discrimen, sed omnia sunt ipsum Esse Dei, otiosum, simplex, beatum, sine ulla operatione; hinc etiam, nulla operatio facienda,
Cfr. III, 197-201; VI, 245-249. nulla virtus exercenda. Hæc est *perfecta paupertas spiritus.*

*b) Refutatio :* Contrarium docet christiana fides : Deus est trinitas in unitate, et unitas in trinitate; Ipsius natura est ut seipsum cognoscat, amet, et in seipso fruatur semetipso; hæc autem tria immutabiliter et æterne in Ipso sunt. Secundum exemplar, quod Ipsemet est, omnia in numero, pondere et mensura, creavit et ordinavit, ideoque homo duplicem habet vitam, alteram in Deo æternam, alteram in seipso ex nihilo creatam. Per gratiam potest homo ad unionem cum Deo pertingere; impossibile autem est ut creatura aliqua Deus fiat; etiam in gloria, sicuti nunc angeli, ita et homines cognoscent et amabunt Deum, Eoque æternum fruentur; dicere enim omnia essentialem quamdam, absque actione, fore beatitudinem, hæc est pessima hæresis : *Siet, dat is die meeste abusie eñ dat quaetste ende dat sotste onghelove dat ye ghehoirt was. Desen en salmen dat heylighen Sacrament niet gheven levende noch stervende, noch be-*



*graven met kerstenen menscen; maer men soutse met rechte verbernen aen enen stake : want si sijn voer Gode verdoemt, eñ si behoren ten helschen putte verre en diepe onder alle die duvele* (1). — Eorum autem inactio non III, 201
spiritualis, sed infernalis est paupertas : ibi enim nequit esse beatitudo, ubi non est cognitio et amor. — Illorum autem errorum radix hoc est, quod ad ipsum esse suæ animæ conversi, naturalem quietem in se sentientes, illam simplicitatem putant esse Deum.

2° *Alii peccant contra Patrem Ipsiusque æternam potentiam :*

*a) Doctrina :* Deus ex natura sum, aiunt isti; quando in fundo meo stabam, in esse meo æterno, tum nullum habebam Deum, sed quod eram, id volebam, et quod volebam, id eram; et ex libera voluntate mea factus et egressus sum. Sine voluntate mea, nihil creatum fuisset, nec sine me potest Deus quidquam facere (2); nullam adorationem nec reverentiæ ad Deum exercitium peragere debeo. In Deo, nullum est personarum discrimen, sed unus tantum est Deus, quocum ego unum sum, et illud quidem unum, quod ipse est.

*b) Refutatio :* Hæc est scandalosa infidelitas, et superbia spiritualis. Deus omnia creavit, ut ait propheta David : « Deus fecit nos et non ipsi nos »; illi autem Ps. XCIX, 3.
homines non tantum, uti Lucifer, Deo similes, sed ipse Deus esse volunt, ideoque ipso Lucifero sunt pejores.

(1) R. se maledictis non abstinet nec linguæ temperat quando adversarios suos alloquitur. Eos vocat : *quade duvelsche menschen, verkeerde dolende menschen, sotte blinde menschen, quader dan Lucifer eñ alle sine familie, verblent onredelic onghelovic mensce, onwuerdich boeve, onverstandich esel*, etc.

(2) Prop. Eckhardi 13ª.

3° *Alii Filium Dei Ipsiusque humanitatem insectantur.*

*a) Doctrina :* Christus etiam sum, idque per omnia sine ulla exceptione, ex Deo Patre secundum divinitatem ab æterno genitus, in tempore secundum humanitatem natus, ideoque Deus et homo (1). — Si Christus ex virgine natus est, accidens illud est, quod nullam sanctitatem confert, — Christus in vitam activam missus est, ego autem ad vitam contemplativam altiorem perveni, ad quam tamen, si longius vixisset, pervenisset Christus; hinc, omnis honor qui Christo defertur, mihi etiam et omnibus qui ad hanc altam vitam sublevati sunt, defertur, et in Eucharistiæ sacramento omnes cum Christo sumus.

*b) Refutatio :* Pater ab æterno Filium suum generat; et per Filium suum, æternam sapientiam, omnia creavit; hos autem perversos homines neutiquam ad consilium suum vocavit. Licet vitam æternam in sapientia Dei habeamus, ipsa tamen Dei sapientia non sumus; licet Deus in omnibus creaturis vivat, omnesque creaturæ sint in Deo, creaturæ tamen non sunt Deus, nec Deus creaturæ; *want ghescapen eñ onghescapen die bliven altoes twee, eñ sonder mate verre van een;* pariter, licet Deus factus sit homo, divinitas tamen non facta est humanitas. —Deus autem illis non dedit quidquid humanitati Christi contulit, uti patet ex collatione potentiæ et cognitionis Christi cum eorum ignorantia et infirmitate. — Christus contemplator erat ut nullus hominum fuit; illi autem nec activi sunt, nec contemplatores; sicut canes somniantes decepti, se contemplari putant, nihil autem sentiunt nisi falsam otiositatem. — Hinc illis nullus debetur honor, nisi et honorantes cum illis velint esse

(1) Prop. Eckhardi, 11 et 12, 20, 21 et 22.



maledicti. — Nemo sanctissimus, etiam Virgo Maria, dicere potest : « Corpus Christi est corpus meum, ipsiusque sanguis, sanguis meus est ». — Comparatio autem Mariæ cum communi muliere pessima est blasphemia : *eñ al en haddi niet meer misdaen, ghi hebt die helle verdient, eñ hier te stervene inden viere.*

4° *Alii Deo, Scriptis divinis, et toti Ecclesiæ contrarii sunt :*

*a) Eorum doctrina :* Deus nihil est, et ipsi etiam nihil sunt; nihil est beatus nec damnatus, agens nec otiosus, Deus nec creatura, bonum nec malum. Suum creatum esse perdiderunt et facti sunt nihil (1), quemadmodum Deus nihil est.

*b) Refutatio :* Ipsa Dei sapientia loquitur : « Ego sum principium et finis omnium creaturarum ». Et Deus Cfr. Apoc., I, 8.
Moysi dixit : « Sic dices filiis Israel : Qui est, misit Ex., III, 14.
me »; Ipseque loquitur : « Ego sum Deus Abraham, Cfr. Ibid., 15.
Isaac et Jacob ». Illi homines sunt insipientes, de quibus loquitur propheta, qui dicunt : « Non est Deus »; Cfr. Ps. XIII, 1.
et si Deus non esset, nulla creatura subsistere posset. Esse autem, et non esse, seu nihil esse, contradictorium est. Omnia quæ Deus fecit, sunt aliquid, sed nihilum peccati sine Deo factum est, ut ait S. Joannes, et illud Cfr. Joann., I, 3.
nihilum sibi perversi hi homines elegerunt.

### § 3. *Errorum radices et sectarum indoles juxta R. exponuntur.*

Horum omnium errorum radices R. evolvit in libro quodam magis parænetico quam polemico, qui *de qua-*

(1) Prop. 26 Eckhardi.

IV, 269-281. *tuor tentationibus* dicitur. Explicando textum : « Qui
APOC., II, 11. habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis : qui vicerit, non lædetur a morte secunda », conditiones ad Scripturarum sensum sapiendum et rectam agendam vitam exponit, fidelesque cautos facit contra quatuor sæpe occurrentes tentationes :

Prima, quæ totam Ecclesiam et ordines religiosos invasit, est *indomita natura* : plures nempe vitam omnino sensualem degunt, corpori quidquid cupit præstant, nec Sancti Spiritus impulsui obediunt; facta tamen sua omnibus modis tegere et palliare volunt.

Secunda, primæ contraria, hypocrisis est; provenit ex ficto spiritu qui magnam sanctitatem præ se fert, ubi revera nulla est. Exinde homines seipsos in omnibus suis operibus, etiam ad Deum specie relatis, intendunt; non communes sanctitatis sequuntur vias, sed specialia signa et miracula quærunt et fingunt : hypocritæ Pharisæis similes, maximam sanctitatem in externis operibus ponunt.

Tertia, subtilior, sc. *spiritualis superbia,* in eis invenitur qui se intellectu naturali subtiles esse et omnem veritatem, sine supernaturali Dei auxilio, se intelligere putant. Fidem despiciunt, de suis naturalibus facultatibus gloriantur, scientiam suam et seipsos extollunt, abdita Sacræ Scripturæ sine caritate et humilitate scrutari volunt.

Quarta tandem, omnium perniciosissima, est falsa *spiritus libertas* : illam profitentur qui putant se in seipsis suum invenisse *esse* essentiale *(weselic sijn)*, et in eo, quod unum esse cum Deo dicunt, quietem naturalem, sine ullo virtutum exercitio, in pura otiositate possident.

---



Sectarum autem omnium duplicem caracterem R. præcipue notat, *subtilitatem* sc. et *pertinaciam* : Eligunt, ait, aliquam peregrinam vocem *(enich welt waert = eenig wild woord)*, quam audierunt, illamque pertinaciter retinent, nec erroris ab ullo convinci possunt; quæ ipsis II, 210.
contraria sunt, subtiliter interpretari valent; suæ doctrinæ puncta ad mortem usque retinent; qui *sectæ* adhæ- VI, 176, 177.
rent, vix ab ea divelli possunt. II, 222, etc.

Propter suam subtilitatem, a viris contemplantibus ægre discernuntur : tria præsertim puncta, quibus ab hisce discrepent, R. enumerat.—Per primum, vir natura- VI, 116-119.
liter subtilis ab hominibus a Deo clarificatis *seipsum* facile discernit : est nempe multiplex, instabilis, ad plura diffusus, dum clarificatus simplex est, stabilis, unitatem cordis possidens.—Per duo reliqua puncta, alii possunt illos discernere : clarificatus homo sapientiam habet infusam, veritatem absque labore cognoscit, scientiamque tradit ad devotionem et cordis unitatem ducentem; subtilis autem in multas res quæ hominem internum disturbant, subtiliter indagat, in suisque dictis superbus est et pertinax. Clarificatus caritatem *communem*, ad omnes effluentem, habet; subtilis autem, in omnibus suis operibus est singularis.

### ARTICULUS II.

#### DE PANTHEISMO JOANNIS VAN RUYSBROECK.

##### § 1. *Pantheismi accusationes adhuc vivente R. prolatæ.*

Hujus cum Begardis controversiæ spectatis documentis, mirum sane videri posset ejusdem erroris no-

mine R. suspectum fuisse; mox tamen, in ejus doctrinam, occasione *Regni Amorosorum* (1) et præsertim, uti videtur, libri tertii *Spiritualium nuptiarum*, insurrexere plures.— Ipse Gerardus Groot (Magnus), occurrente sibi quadam sententia in libris devoti Prioris contenta, quæ quidem sibi et pluribus aliis a fide dissona videbatur, « ausu quodam familiari » sic eum allocutus esse fertur : *Pater prior, satis admiror quod tam profunda audetis scribere, unde plures habetis æmulos et vestræ doctrinæ calumniatores.* Cui R. respondit : *Nunquam in libris meis aliquid posui, nisi in præsentia sanctæ Trinitatis* (2). — Idem Gerardus refert duos in theologia magistros libro *de sponsalibus* contradixisse, inter quos « scientificum » magistrum Henricum de Hassia (3), « circa Wormatiam et Maguinciam et Reni partes » asseruisse et pluribus notificasse, quod liber iste prædictus multos errores contineret; ipse autem fatetur « verba esse reformanda, et si simpliciter caperentur ut jacent, reprobanda; sensum tamen patris omnino fuisse integrum et sanum (4)». — Tandem, ex ipsis R. scriptis, manifesto apparet eum ad calumniatorum ora concludenda, pluries eamdem materiam retractasse, suæque sententiæ ampliores dedisse explicationes. Quod enim in libro tertio *Spiritualium nuptiarum* breviter tractaverat, illud in libro *de*

(1) *Prologus fratris Gerardi Carthusiensis*, in DAVID, I, IX.

(2) POMERIUS, *loc. cit.*, II, c. 9, qui hanc responsionem ab uno patrum se audivisse testatur.

(3) Henricus de Langestein, dictus de Hassia, teutonicus, Facultatis theologicæ Parisiensis a. 1375 licentiatum adeptus, primum in universitate Parisiensi claruit, postmodum novæ universitatis Viennensis professor et canonicus Wormatiensis fuit. Cfr. *Gers. opp.*, ed. DU PIN, I, XL.

(4) *Epistola ad Ruysbroec, priorem et propositum in viridi valle*, ed. NOLTE, in *Theologische Quartalschrift*, 1870, pp. 280-281.



*calculo* repetit, et ita quidem, ut tum cautelis utatur (1),
suumque procedendi ordinem repetitis vicibus ostendat, VI, 218, 225 etc.
tum e Sacra Scriptura locutiones et probationes hau- VI, *passim*, 225.
riat, tum tandem discrimen inter Deum et hominem, VI, 225-233.
pariterque inter cognitionem Dei in via et in patria
multipliciter explicet. Idem argumentum in *Speculo salutis*
*æternæ* prosequitur, in quo, licet plura forsan obscu- III, 207-235.
riora sint quam in libro *Nuptiarum*, intentio tamen auctoris apparet theoriam mysticam, præpositis notionibus psychologicis, dilucide exponendi. Tandem in libro *Retractationis*, suum propositum R. aperte manifestat : « Desiderabant, ait, et petierunt a me quidam amicorum meorum, ut paucis verbis, prout melius possem, exponerem proximam et clarissimam veritatem quam intelligo et sentio de sublimissimis doctrinis, quas scripsi, ut ex verbis meis nemo pejor, sed quisque melior evadat;
illud quidem lubens facio. » Qua explicatione tradita VI, 242.
addit : « Equidem hac vice, mentem meam clarius ex-
plicare non possum ». VI, 268.

§ 2. *Epistola Joannis Gersonii ad fratrem Bartholomæum Carthusiensem super tertia parte libri* De ornatu spiritualium nuptiarum (cfr. *Gers. opp.*, ed. DU PIN, I, 59).

R. autem, post mortem ejus, celeberrimus impugnator fuit Joannes Gerson, universitatis Parisiensis Cancellarius, cui, probabiliter circa a. 1400, dum Brugis erat et cancellariatum dimittere volebat, a fratre quodam Carthusiensi Bartholomæo oblatus est liber de *ornatu*

(1) VI, 217 : « *want ic en wille niet dat hem yeman aen mine worde tonrechte stote.*

*spiritualium nuptiarum.* In epistola ad hunc fratrem directa, « illi suum de hoc libro judicium non esse celandum » putat, quod sequenti modo profert :

Satis utiles sunt, ait, duæ primæ libri partes, utpote ad vitam tum activam, tum affectivam bene instruentes, licet modestum lectorem, qui harum rerum penitus expers non sit, secunda pars efflagitet. Non tamen ab homine illiterato et idiota, ut referunt, qui solum igitur sub S. Spiritus inspiratione scribere potuisset, liber est confectus; stylus enim magis humanam quam divinam eloquentiam redolet; præterea tertia libri pars « prorsus repudianda rescindendaque est, tanquam vel male explicata, vel plane abhorrens et discrepans a doctrina sana Doctorum sanctorum qui de nostra beatitudine locuti sunt; nec stat cum determinatione expressa Decretalis ponentis beatitudinem nostram consistere in duobus actibus, visione et fruitione, cum lumine gloriæ » (1).-- Si enim, pergit ipse, in beatitudine consummata, Deus non est visio et claritas nostra essentialis, sed objectiva, quanto magis hoc erit alienum a vita contemplativa, quæ non est nisi beatitudinis imperfecta quædam assimilatio ! — Auctor autem ponit animam perfecte Deum contemplantem *fieri ipsam claritatem divinam; in propria existentia desinere et absorberi in esse divinum; defluere in illud esse ideale quod habuit ab æterno in essentia divina, secundum illud Joann.* « Quod factum est, in ipso vita erat » (2); *illud autem* esse *causam nostræ existentiæ temporalis esse, quocum*

(1) *Const. Benedicti XII* Benedictus Deus, 4 cal. Feb. 1336.

(2) Joann., I, 3, 4. Frequenter, uti vidimus, hunc Joannis textum eodem modo R. interpretatur.



*unum illa sit secundum essentialem existentiam; animam tandem in tali esse divino abyssali perdi, ut ab aliqua creatura non sit reperibilis, quemadmodum si modica vini gutta a mare absorberetur, et in illud converteretur* (1). — Perspectis tum sanis doctrinis in utraque præcedenti libri parte traditis, tum auctoris, ne perperam ipsius verba caperentur, obtestationibus, primum quidem, ad mitiorem explicationem pronus erat Gerson; « verum, diligens et repetita inspectio dictorum illorum magis ac magis in illis errorem aperuit »; quem errorem ex paucis ad litteram excerptis manifestum facit (2).

Censet igitur Gerson (3) auctorem renovasse errorem Almarici de Bena, ab Ecclesia damnati (4) : « mentem contemplativi vel beati perdere suum esse, et in illud esse ideale redire, quod æternum habuit in mente divina »; quodsi auctoris intentio talis non fuerit, sibi ipsi accusationem imputet, qui rudibus etiam obscuro illo modo locutus est; cæterum, majoris sanctiorisve auctoritatis ipse non est quam maximi theologi qui dicta sua aliorum examini libero subjecerunt; ea tandem materia est, quæ non a solum devotis. sed ab exercitatis in S. Scriptura theologis tractari debeat.

(1) Comparatio hæc, a R. non posita, uti fatetur Gerson (60), a Joanne de Scoenhovia S. Bernardo tribuitur (71), postea vero a Gers. « per qualemcumque doctorem » adducta dicitur (79).

(2) Textus ad litteram citati supra, pp. 85 sqq., inveniuntur.

(3) Cfr. Gerson., *de Mystica theol. spec.*, *cons.* 41, in *Opp.*, III, 394.

(4) In Conc. Later. IV, sub Innocentio III, in c. *Damnamus*, de Sum. Trin. : « perversissimum dogma Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quam insana sit censenda. » Cfr. Denzinger, *Enchiridion*, p. 155. — Hunc errorem, quem, post Hostiensem, Almarico imponit Gerson (III, 394 et I, 80), ipsius saltem discipulis imputat, juxta Prateolum, Natalis Alexander, *Hist. sæc.* XIII et XIV, c. 3, a. 2. — Cfr. c. 5, a. 6, ubi Gersonii cum R. controversia narratur.

Ad quæstionem ipsam quod attinet, licet aliqui theologi satis curiose disputaverint, an, de absoluta potentia, anima rationalis ita beatificari posset, ut Deus esset ipsi sua cognitio et fruitió non tantum objectalis sed quasi formalis (1), nullus tamen, ecclesiastica determinatione contraria, hunc beatitudinis modum obtinere de facto profiteri præsumit; modum autem ab auctore assertum, nullus unquam, nec de facto, nec de possibili asserere ausus est. Transmissa enim quæstione de idearum in Deo pluralitate, si corpus quodcumque beatificatum animam suam in sua contemplatione et beatificatione hoc modo perderet, pro illa haberet essentiam divinam ipsum formaliter vivificantem; nec anima esset ejusdem speciei ac prius, sed haberet suum esse ideale, in quo sicut ab æterno quælibet anima, etiam damnatâ, erat vita divina, sic erat beatitudo sua; nec corpus suam animam reperire posset; alia tandem innumerabilia sequerentur absurda.

Unitas de qua I Cor., VI, 17, sermo est, nullo modo essentialis nec per præcisam similitudinem intelligi debet, sed ibi tantum notatur assimilatio et participatio, quemadmodum et Act., IV, 32; hoc etiam tropo probat Boëtius hominem bonum Deum esse, juxta Ps. LXXXI, 6, non quidem proprie, sed participative et nuncupative; quodsi auctoris intentio talis fuisset, sane recte dixisset, sed ipsius explicatio manifesto aliter sonat, præterquam quod, si eo modo ipsius verba caperentur, nihil magnum de contemplantibus diceret, ultra illos qui Dei per gratiam adoptionis sunt filii.

(1) H. e. Deus non solum esset cognitio quæ cognosceretur ab anima, sed per quam anima ipsa cognosceretur (cognosceret), et pari modo de fruitione.



Mirandum profecto est in talem errorem corruisse tam devotum virum; ast notandum est plures circa hanc materiam eo tempore errasse, quos ipse auctor in sua secunda parte juste reprehendit; contra opinionem igitur quæ illi forsan cum multis communis erat, condita fuerit prædicta Decretalis; nec ideo tamen hæreticus pertinax censendus est, modo Ecclesiæ se submiserit. Præterea, attendendum est minus eruditis nefas esse, ut theologicas arduasque quæstiones verbis novis, et pro sua æstimatione et affectione repertis pertractent. Duplex quippe contemplationis distinguitur species : altera, quæ in affectione et fervore caritatis versatur, altera, quæ in intellectiva divinarum virtutum perscrutatione ponitur; quæ species licet ab invicem separari possint, nullus tamen proprie contemplativus dicitur, quin utraque polleat. Si autem inter utramque fieri debeat electio, prior quidem pro vitæ propriæ sanctitate præest; ubi vero de fidei veritate in S. Scriptura tradita quæritur, ii potius sunt consulendi qui posteriorem habent; non enim raro qui parvo intellectus lumini magnum ad virtutes zelum conjunxere, in pessimos prolapsi sunt errores, uti Joannes Climacus, Cassianus et alii : hos igitur nec leviter nec absque cautela, tractatus edere oportet.

§ 3. *Libellus Joannis de Schoenhavia (de Scoenhoven) qui nititur defendere dicta R., contra magistrum Joannem de Gerson* (cfr. *Gers. opp.*, I, 63).

Hisce Gersonii accusationibus, canonicus quidam regularis monasterii Viridis Vallis, Joannes de Scoenhovia nomine, qui R. discipulus quondam fuerat, tum

« paternæ traditionis æmulator existens », tum Fr. Bartholomæi precibus et desideriis annuens, litteris ad hunc circa a. 1406 datis, respondere decrevit; cujus « libellus » in tres potissimum distinguitur partes.

I. Intentionem auctoris, in eis quæ tanquam erronea judicantur, primo explicat. — Unio de qua R. in libro
suo tractat, non est unio animæ cum Deo *per identita-*
Joann., x, 30. *tem realis existentiæ*, juxta quam *Christus et Pater unum*
*sunt;* neque unio solum *per consensum et conformitatem*
*voluntatis*, juxta quam primis fidelibus *erat anima una*
Act., iv, 32. *et cor unum* in Domino; sed unio *per amorem liquefac-*
*tivum et excessum contemplationis extaticæ*, quæ præ
nimia suavitate et magnitudine interni dulcoris totam
rationis virtutem absorbet, de qua dicit Paulus : *Qui*
I Cor., vi, 17. *adhæret Domino, unus spiritus est*. Ex perceptione
namque præsentiæ divinæ anima devota in se quietatur,
sibiipsi et omnibus rebus per desiderium in Deum
totaliter expansum, funditus moritur; *jam non ipsa vivit,*
Gal., ii, 20. Cfr. II Cor., xiii, 3. *vivit vero in illa Christus;* per efficaciam divini luminis
in imaginem quæ illi exhibetur, recurrit; *a claritate*
imaginis creatæ per quamdam similitudinem *transforma-*
Cfr. II Cor., iii, 18. *tur in claritatem* imaginis increatæ, et in hac trans-
formatione, constituitur in tanta cum Deo conformitate,
quæ sit omni linguæ inexplicabilis, secundum verbum
Apostoli : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in*
*cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui dili-*
I Cor., ii, 9. *gunt illum*. Hic status non perfecte cognoscitur nisi in
speculo æternitatis, quod est verbum divinum et essentia divina : de hac igitur unione credendum est magis notitiam affectualem et experimentalem habentibus quam solam intellectualem. De hoc amore extatico loquitur R. eo modo quo Dionysius in libro *de divinis nominibus;*



qui quidem amor duo supponit : esse naturæ, et esse gratiæ, quæ in tanto gradu haberi potest ut anima potius Christum sentiat quam seipsam; gratia enim mentem quodammodo Deo assimilat. Ad hos autem deiformes habitus exponendos, requiritur specialis quædam illuminatio non communiter omnibus tradita, sed quibusdam gratia privilegiatis, qui hæc alios docere debent.

II. Ostendit Joannes de Scoenhovia R. doctrinam a sententiis sanctorum Patrum non discrepare. — Huic enim doctrinæ consonant et concordant dicta Bernardi *in epistola ad Fratres de monte Dei;* Gilberti *super cantica, serm.* 2; Dionysii Magni (Areopagitæ) multis in locis; Hugonis de Sancto Victore, præfati Dionysii commentatoris, *super septimum Angelicæ hierarchiæ;* Vercellensis, *super cantica*. Qui omnes magno consensu docent animam in divini luminis abyssum raptam, seipsam penitus exuere, divinum quemdam affectum induere, etc.

III. Singulis tandem objectis defensor respondet.

A) Auctor nullomodo idiota et sine litteris erat, ut putabat Gerson, sed sacerdos Deo acceptissimus, primus Prior et fundator monasterii Viridisvallis, vir competentis scientiæ, licet non tam eminentis ut doctrinam suam latino sermone composito et stylo eleganti scribere potuisset. Omnes libros suos in teutonica lingua composuerat, sed quidam ejusdem monasterii frater (Wilhelmus Jordaens), vir valde ingeniosus et litteratus, quosdam latino sermone transferre in persona illius curaverat. Fuit homo missus a Deo ut multos ad devotionem attraheret, et sectam *liberorum spirituum*, qui in Brabantia tunc temporis pullulabant, extirparet, eorumque errores denudaret. Hac occasione compulsus,

teutonice profunda et subtilia contexuit, absque ullo labore, sola gratia Spiritus Sancti ejus mentem perlustrante, uti secretorum suorum consciis bene compertum est. Si ergo libri latini stylus humanam redolet eloquentiam, hoc non auctori, sed translatori imputandum est; licet autem latina translatio sit « multum gratiosa, compunctiva, et devotionis excitativa », *ignitum tamen eloquium Domini vehementer*, quod in verbis teutonicis invenitur, « multo gratiosius est, magis movens, afficiens et accedens legentem ». — Tertia libri pars non est rescindenda tanquam erronea, sed dictis sanctorum Patrum conformis est, modo de unione extatica, de qua nullam mentionem facit Gerson, intelligatur. Tandem neque repudianda est ut male explicata : notandum enim est quod de Deo melius cogitare possumus quam loqui; in hac igitur materia altissimæ contemplationis, modum loquendi sanctorum Patrum imitatus, auctor quibusdam verbis non proprie, sed transsumptive usus est pro materiæ exigentia. Sic eo modo quo Dionysius divinum contemplantium lumen caliginem vocat, possunt dici mentes in extasim raptæ *funditus mori*, secundum
Cfr. supra, p. 94. Col., III, 3, *seipsos perdere* et *pene annihilari*, sicut in Apostolo contigit qui in raptu constitutus, utrum in
II Cor., XII, 2, 3. corpore an extra corpus esset se asserit ignorare. Quum igitur hanc unionem extaticam, quæ « sola attingibilis est experientia », auctor conatus sit explicare, quædam verba protulit, quæ quidem intelligentiam minus perfectorum superant, quæ tamen, si recte fuerint intellecta, et ad intentionem dicentis respectus habeatur, non errorem, sed inconcussam continent veritatem. Ad horum autem intellectum, animadvertendum est, unionem extaticam, quæ in amplexu unitivo summi boni consistit,



sub triplici habitudine in hac vita percipi : aliquando *ex divinæ claritatis et essentiæ transitoria visione et contemplatione*, uti contigit in Paulo, qui licet habuerit actum beatificum, non tamen illum modo comprehensorum, i. e. permanenter et immobiliter habuit, ideoque perfecte beatus dici nequit; interdum *ex divinæ suavitatis prælibatoria fruitione*, uti in propheta David apparuit; Cfr. Ps. XV, 11
quandoque tandem *ex divinæ immensitatis jucunda admiratione*, cujus exemplum est in regina Saba. De aliquo III Reg., X, 5.
trium horum modorum sive de unoquoque, potissimum tamen de primo, R. verba sunt intelligenda.

B) Speciatim autem defensor « assertum refellit » : doctrinam illius tertiæ partis non stare cum determinatione Decretalis Benedicti XII. — Quisquis enim doctoris alicujus scripta legit, non statim potest, nisi manifestam in eis errorem deprehendat, propter aliquam dubiam vel obscuram locutionem auctori notam erroris impingere; ea enim quæ hic obscure, alibi clarius disseruntur, ideoque ex collatis textibus explicari debent. Jamvero quæ in tertia parte libri *Spiritualium nuptiarum* de illa obscurissima materia obscurius auctor est locutus, ea planius et apertius in libris aliis explicat. Sic in libro *de calculo* manifeste profitetur tum creaturam in creatorem mutari non posse, tum vitam æternam consistere præsertim in visione et cognitione Dei juxta Joann., XVII, 3, Cfr. supra, p. 95.
et etiam in amore activo et fruitione divinæ essentiæ. — Præterea Thomas de Aquino clare dicit quod in visione qua videtur Deus per essentiam, oportet quod Deus sit forma intellectus nostri, non quidem ita ut sit vera forma, vel ex ea et intellectu nostro efficiatur unum simpliciter, sed ita ut proportio divinæ essentiæ ad intellectum nostrum sit sicut proportio formæ ad mate-

riam, et fiant unum quantum ad actum intelligendi. Et ulterius, quod Deus in patria non tantum erit cognitio quæ cognoscetur ab anima, sed etiam per quam anima cognoscet. Ergo Deus per suam essentiam conjungibilis est intellectui nostro, non tamen sic, quin ibi futurum sit lumen gloriæ medium quod elevabit intellectum nostrum ad hoc quod possit conjungi essentiæ increatæ, sed ab hoc medio non dicitur cognitio mediata quia non cadit inter cognoscentem et rem cognitam, sed est istud quod dat cognoscenti vim cognoscendi (1). Hæc obtinebunt in patria; hic autem in via, nullatenus intellectus puræ creaturæ ad hanc visionem per aliquam dispositionem sibi inhærentem potest pervenire; fieri tamen potest, ut divina virtute aliquis intellectus creatus, non habens nisi dispositiones viæ, elevetur ad Deum per essentiam videndum; nec tamen ex tali visione dicitur beatus simpliciter, sed secundum quid tantum, in quantum communicat in actu beati (2). — Modum autem beatitudinis ab auctore assertum a nullo doctorum defendi, verum esset, si R. docuisset spiritum rationalem in actu beatifico uniri divinæ essentiæ per transformationem essentialem in identitatem divinæ naturæ, aut potentiam intellectivam creatam lumine gloriæ non egere ad actum beatæ visionis eliciendum. Non autem ita, sed sequenti modo videtur ipse sapere : quia ipse Deus propter summam suam simplicitatem menti illabitur, ideo cognoscemus Eum *in seipso objective,* et *per seipsum repræsentative*, ita ut *in seipso*

(1) Cfr. *De verit.*, q. 8, a. 1. — *Contra Gent.*, l. III, c. 51.
(2) Cfr. 2ª. 2æ, q. 174, a. 3. — *De verit.*, q. 13, a. 2.



excludat mediationem speciei, et *per ipsum* mediationem luminis extranei divinam essentiam repræsentantis. Et quia visum videtur non per similitudinem, sed per essentiam, efficitur quodam modo intra videntem, et unit sibi videntem ut fiat quasi quædam penetratio mutua per amorem (1); ad unionem autem (rei) maxime convenientis sequitur delectatio summa, et in hoc perficitur nostra felicitas. Gaudium igitur fruitionis in actu visionis inchoatur, sed in dilectione consummatur; quamvis enim fruitio non sit sine visione, perfectius tamen est in dilectione. Hinc ad gaudium beatitudinis tria concurrunt : perfecta visio, plena comprehensio (i. e. cognitio immediata), inhæsio amoris consummati. Hæc est doctrina R. in præsenti materia; unde *beatitudinem actualem* vocat intuitivam Dei cognitionem et contemplationem; et *beatitudinem essentialem*, fruitionem Dei quiescitivam, cujus tantum est gaudium, ut præ magnitudine illius, anima deficiat, absorbeatur ut stilla aquæ a vino forti, sicut dicit Bernardus, et quodam modo suæ increatæ imaginis assequatur assimilationem.

C) Singulos textus ab adversario ad litteram citatos solvit et explicat defensor, plerumque, juxta traditas jam elucidationes, novam aliquando declarationem subministrando. Doctrinam de spiritus ab anima divisione (2) juxta Richardum de S. Victore evolvit. *Unitatem animæ cum Deo secundum essentialem existentiam* de illapsu

(1) Cfr. I JOANN., IV, 16 : qui textus a R. quam plurimum, uti vidimus, citatur.
(2) Hanc doctrinam, Mysticis consuetam, et in textu S. Pauli ab eis fundatam, præcipue evolvit R. in libro *de duodecim Beghinis*, V, 136-137. — Cfr. supra, p. 67.

Conf., l. II, c. 6. Dei per præsentiam suam creaturam conservantis intelligit, quum Augustino teste, Deus nobis sit *intimior intimo nostro*. Præexistentiam tandem creaturarum in Deo triplicem distinguit : *in divina essentia*, secundum rationes suas perfectionales, et quia omnes perfectiones in Deo sunt unitissime, sub omnimoda indistinctione; *in mente paterna* originaliter secundum rationes suas ideales, ideoque ibi apparet creaturarum distinctio secundum rationem intelligendi; *in Verbo æterno* tanquam in exemplari proprio, quantum ad rationes suas factivas et exemplares, et ideo ibi apparent similitudines rerum sub distinctione perfecta; quum nihil essentiæ Dei addi possit, creatura non est in Deo nisi *creatrix essentia*, uti dicit Anselmus.

Hæc autem est defensoris conclusio : Beati in cœlis, duplici modo reficientur : *potentiæ rationales ad imaginem pertinentes*, sc. memoria, intellectus, et voluntas, simul erunt activæ et quiescentes, operosæ et otiosæ : simul actibus suis bibent de fonte vivo qui est Deus, et inebriabuntur in consummati amoris amplexu. Hoc autem donum aliquibus sanctissimis, uti e. g. S. Paulo, in hac vita concedi profitetur auctor, ut et Dionysius in *Mystica sua theologia* : quæ opinio nullomodo ab Ecclesia damnata est. — Ad extremum dicendum est hisce in rebus docendi magistram experientiam esse : ad hoc enim ut de divinis scientiis quis disserat, non requiritur ut scientiis naturalibus et physicis sit imbutus; nam hæc arcana gratiæ mysteria non in scholis discuntur, sed per Sancti Spiritus influxum in cordibus sentiuntur; cæterum in utraque contemplationis specie docti sententiis hujus reverendi Patris concinnunt. Hinc dicendum est doctrinam tertiæ partis libri *Spiritualium*



*nuptiarum* non esse rejiciendam ut erroneam; si aliquis autem error sit, « ille solum stat in quid nominis, nomina autem sunt ad placitum; et ideo talis error non est magni ponderis »; præterea, quum ex « fervido affectu et vigore dilectionis illa verba prolata sint, secundum subjectam sermonis materiam sunt intelligenda ».

### § 4. *Epistola Joannis de Gerson contra prædictam defensionem (Gers. opp., I,* 78).

Hujus « grandis epistolæ » post annum 1408 tantum certior factus Gerson, novas fratri Bartholomæo dare litteras necessarium duxit, seu potius, « infra limites epistolæ primæ » stans, ad dicta sua vindicanda quasdam adjecit considerationes :

*Nobis ad certam regulam loqui fas est :* quæ si Augustini pretiosissima sententia in praxim non deduceretur, brevi, quidquid de parvo verborum momento dicat defensor, in Babylonicam quamdam confusionem tota laberetur Theologia; si enim cum hæreticis, verbis tantum consentire voluissent Augustinus, Hieronymus, Basilius et alii doctores, cum eis protinus pacem, sed malam pacem habuissent; sic etiam Scotus propositionem illam « Patrem esse Filii causam », sensu tamen recto intellectam, revocare debuit.

Doctorum modus loquendi improprius et parabolicus in usum trahi non debet, sed ad sensum proprium et non figurativum reverenter exponi; ideo doctores in Theologia sunt constituti, et sane hac consideratione permoti Thomas, Alexander de Hales, Bonaventura,

aliique, totam theologiam ad quæstiones, servata semper sermonis proprietate, reduxerunt. Hæc autem, de quibus agit tertia pars libri *Spiritualium nuptiarum,* quum de summa theologia sint, quæ mystica nominatur, ab Alberto Magno aliisque scholastice tractata, quis non mirabitur, pro indoctis, in idiomate vulgari, non autem pro doctis, præcise quia scholastici sunt, publicari ? (1)

Unitatem de qua I Cor., VI, 17, sermo est, nemo ad alium sensum intelligere potest quam per assimilationem; eo sensu explicari debent omnes theologi de hac unitate loquentes, uti Dionysius, nisi insaniam Almarici aut errorem adversus Augustiniensem quemdam Parisiis damnatum profiteri dicantur.

Devotio illorum culpanda est, qui verbis peregrinis et inusitatis sententias suas involvunt, quemadmodum in sermone quodam in capitulo uno Fratrum Carthusiensium a. 1406 vel 1408 habito, optime explicatur.

Nimia prorsus ad R. affectione, pergit Gerson, quæ judicium pervertere nata est, inductus fuerit defensor ad dicta magistri sui explicanda. Ipse autem nullatenus cujuscumque odio, sed veritatis amore incitatus, quia nimis improprii videbantur modi loquendi R., primam suam scripserat epistolam; in hac autem parce locutus, auctoris explicationem aliam subministraverat, et admittere se paratum dicebat: imo postmodum, quum auctorem alio in loco rectam explicationem dare comperuisset, tum verbis, tum scriptis, illum excusare conatus erat,

(1) Non absolute, uti insinuat Spitzen, *Thomas a Kempis als schrijver der navolging...*, p. 72, reprobat Gerson tractationem theologiæ mysticæ in lingua vulgari, siquidem et ipse lingua vulgari plures edidit tractatus, v. g. *de monte contemplationis* (*Opp.*, III, 254); sed Joanni de Scoenhovia dicenti hæc scholastico more tractanda non esse, respondet.



fatendo tamen hujus tertiæ partis verba occasionem errandi præbuisse (1).

Inconcussum manet pessimos sæpius errores admittere eos qui parvo intellectus lumini magnum ad virtutes zelum conjungunt; in opusculis ab eis exaratis, prope altissima doctrinæ puncta, semper sententiæ falsæ vel perperam explicatæ inveniuntur, quod in Begardis magno numero manifestum fuit.

In defensorem ultimo Gerson invehitur : sævior enim correctio ab eo exigitur, qui impropriam aliquam formulam uti propriam retinet suumque errorem defendere mavult quam corrigere. Judicandi de casu curam Ordinario et Inquisitori relinquit; ipse vero, Johannem de Scoenhovia sententiam mereri censet adversus aliquos nuper Parisiis latam, qui quamdam Raymundi Lulli peregrinam vocem retinere volebant.

### § 5. *Nostrum hac de controversia judicium.*

Nostrum quale sit hac de celebri controversia judicium

(1) Remittit Gerson ad opusculum suum de *Theologia mystica speculativa et practica*, in quo (III, 394) habetur textus a nobis jam citatus : « Hanc (Almarici doctrinam) nisus est renovare auctor illius tractatus cujus titulus est : *De ornatu spiritualium nuptiarum*, cujus initium est : *Ecce sponsus venit; exite obviam ei.* Matth. XXX, 6. Contra hunc errorem scripsi dudum quamdam epistolam; licet in aliis scriptis ejus hunc errorem correxisse videatur, ponendo quod anima talis semper remanet in esse suo proprio, quod habet in suo genere, sed dicitur tantummodo similitudinarie transformari, sicut amatorum dicimus cor unum et animam unam; quod utique concedimus. » — Pomerius (*An. cit.*, p. 288), asserit Gerson R. « inter scriptores theoricos non solum nominasse sed scriptis suis publice commendasse »; præter laudatum locum, nullibi in *Gersonii opp.* R. mentionem invenimus, nisi III, 434 : *in annotatione doctorum aliquorum qui de contemplatione locuti sunt*, inter tractatus a novellis compilatos, habetur : « Alter *de ornatu spiritualium nuptiarum*, cujus tertia pars suspecta est ».

paucis exponamus, et ita quidem ut simul de re controversa, de pantheismo sc. R., sententiam feramus :

I. Mentem auctoris rectam fuisse censemus.

A) Duplici præsertim ex capite R. doctrina pantheismi argui posset : 1° Doctrina mystica de unione supernaturali suprema quæ in vita superessentiali Dei-contemplativa, habetur animam inter et Deum, intelligi posset de absorptione reali hominis in Deum, de amissione ipsius individualitatis et esse creati : hoc præcipue punctum urget Gerson, et tali interpretationi speciatim ansam præbet liber tertius *Nuptiarum spiritualium* (1). — 2° Fundamentum illius theseos speculativum, doctrina sc. de relationibus existentibus inter esse creatum hominis, et esse ideale quod in essentia divina habet, eo sensu sumi posset, ut esse creatum hominis non esset nisi divinæ essentiæ emanatio : hanc accusationem obiter tantum Gerson attingit, quum locus quoad hanc doctrinam classicus, non tam in libro *Nuptiarum spiritualium* quam in fine *Speculi salutis æternæ* habeatur (2).

B) Has expositiones sensu pantheistico non esse intelligendas, probant tum expressa theismi professio in R. libris frequenter occurrens, tum dubiorum verborum sanæ explanationes, tum R. contra hæreticos, hæc duo præcise puncta profitentes, polemica, tum tandem multiplices fidei orthodoxæ et submissionis erga S. Ecclesiam declarationes.

(1) Ita Jundt, *Les amis de Dieu au quatorzième siècle*. Paris, 1879, p. 65 : « Sa spéculation théologique rappelle celle d'Eckhart par la hardiesse avec laquelle elle s'aventure dans la sphère métaphysique ; elle aussi aboutit, comme conséquence dernière, à l'anéantissement de la personnalité humaine dans la substance infinie de Dieu ».

(2) Ita Vander Elst, *Les mystagogues de Bruxelles*, in *Revue trimestrielle*, XXIX, 1861, p. 107 : putat R. professum esse pantheismum spiritualem seu *panpneumatheismum*.



Neque dici potest R. sententiam suam, primo pantheisticam, postea decursu ætatis mutasse, et ad orthodoxiæ normam reduxisse ; locutiones enim pantheismum sapientes fere semper in eodem commate corriguntur ; in apertioribus autem, quæ sese invicem excipiunt, ejusdem materiæ explicationibus, suam quidem sententiam R. retractat, non ita tamen ut quod antea dixerat, neget, sed ita ut verborum suorum sensum magis aperiat (1).

C) Quo autem sensu positive intelligendæ sint dictæ expositiones, *hoc opus, hic labor* ; arbitramur tamen tum ex tradita a nobis speculativa R. doctrina, tum ex diversis ejusdem materiæ mysticæ apertioribus declarationibus, ut a nobis sunt expositæ, satis patere sequentem interpretationem :

R., Pseudo-Dionysii vestigia premens, totum processum mysticum ceu « sempiternum quemdam circulum (τις ἀΐδιος κύκλος) » habet : « amatoriam motionem » Dei considerat, « præexistentem in bono, et ex bono in ea quæ sunt redundantem, ac rursus ad bonum revertentem (2) ». Hinc, descensum Dei ad hominem, et juxta diversos illius gradus, reditum hominis ad Deum per viam mysticam exponit.

1° Doctrina de unione naturali suprema hominis cum

(1) Cfr. Van Otterloo, *op. cit.*, pp. 284 sqq. — Admittimus autem R. pro diverso fine, diverso modo loqui ; discrimen animam inter et Deum extollit quando cum adversariis agit ; quando autem sine respectu polemico doctrinam suam mysticam exponit, unionis intimitatem maxime celebrat.

(2) Dion. Areop., *De div. nom.*, c. 4, § 14 : ἐρωτικὴν κίνησιν.... προοῦσαν ἐν τἀγαθῷ, καὶ ἐκ τἀγαθοῦ τοῖς οὖσιν ἐκβλυζομένην, καὶ αὖθις εἰς τἀγαθὸν ἐπιστρεφομένην. Hoc sensu, *de cœlesti hier.*, c. 1, § 1, interpretatur Apostoli verba, Rom., XI, 36 : Καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ πάντα καὶ εἰς αὐτὸν (*in ipsum*).

Deo intelligi debet de unione quam omnes homines, imo et omnes creaturæ, secundum esse suum ideale, in essentia divina habent. Relationes inter illud *esse ideale* et *esse creatum* hominis ad hoc a R. reducuntur, ut prius sit posterioris *causa exemplaris;* juxta illud Deus hominem *libere* creat; hinc homo, ad imaginem et similitudinem Dei factus, per potentiam obedientialem capax est donorum supernaturalium quæ eum ad Deum suum Principium et suum Finem reducant. Rursus autem homo, secundum esse suum creatum, Deo illi intime præsenti illumque conservanti unitus est (1).

Hæc unio *essentialis* duplex, quam « supra nos et in nobis » naturaliter possidemus, sequenti modo a S. Thoma scholastice exponitur : « Creaturæ in Deo esse dicuntur dupliciter. Uno modo, inquantum continentur et conservantur virtute divina; sicut dicimus ea esse in nobis, quæ sunt in nostra potestate. Et sic creaturæ dicuntur esse in Deo etiam prout sunt in propriis naturis. Et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis : *In ipso vivimus, movemur et sumus*; quia etiam nostrum vivere, et nostrum esse, et nostrum moveri causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente. Et sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud ab essentia divina. Unde res, prout sic

(1) Ullmann, *op. cit.*, p. 53, et post eum, Schmidt, *Mémoires...*, p. 462, pantheismi accusationem ideo repellunt, quod R. non tantum *immanentiam* Dei in mundo, sed etiam *transcendentiam* Dei supra mundum profiteatur. Böhringer, *op. cit.*, p. 607, præsertim provocat ad distinctionem quam ponit R. inter *wesenlic* et *werclic*. Ambo sunt jungenda, et ita quidem ut dicatur duplicem illam unionem hominis cum Deo esse *essentialem*, si hæc unioni activæ hominis *cum Deo* opponatur; unio enim activa (nam *werclic=activus*, et non *realis*), dicitur etiam a R. unio virium superiorum in spiritu. Cfr. p. 35.



in Deo sunt, sunt essentia divina. Et quia essentia divina est vita..., inde est quod res hoc modo loquendi in Deo sunt... vita » (1).

2° Hisce *analogice* respondet unio supernaturalis quæ tum in vita interna, tum in vita contemplativa habetur. Manifesto exponere intendit R. *unionem simplificativam* (ἁπλωτικὴν ἕνωσιν) de qua loquitur Dionysius (2), quamque omnes Mystici sub nominibus *unionis mysticæ*, *annihilationis mysticæ*, *mortis mysticæ*, etc., celebrant. Hanc unionem R. *essentialem* vocat, quemadmodum ab aliis Mysticis illa *in animæ essentia fieri* dicitur : hoc autem nomine non significat identitatem naturæ cum Deo (illam enim multipliciter excludit), sed unionem immediatam animæ cum Deo *per fruitionem*. Actus quidem tum intellectus, tum voluntatis (amorem) requirit, in his autem formaliter non ponit unionem, sed in fruitione quæ actus consequitur : gaudium fruitionis tantum esse dicit, ut in ipso vires animæ, plane saturatæ, quiescant.

Hæc interpretatio parum distare videtur ab explicatione *unionis simplificativæ* ab ipso Gersonio non improbata : ... « videtur quod hujusmodi Theologia Mystica, docens unionem cum Deo, neque consistit in opere intellectus nec in operatione affectus : quamvis præexigantur tanquam necessariæ dispositiones de communi lege... Confert ad scholasticam hujus mysterii considerationem Traditio Theologica de subjecto gratiæ gratum facientis; quod illa consistit in essentia animæ, conferens ipsi quoddam esse vivificum et divinum et unitivum cum Deo... Sicut ergo gratia non conjungit

(1) *S. T.*, 1a, q. 18, a. 4, ad 1.
(2) *De cœl. hier.*, c. 1, §§ 1 et 2.

immediate Deo intellectum vel voluntatem et cæteras vires; sed principaliter et immediate ipsam essentiam animæ...; sic Theologia mystica non respicit operationem intellectus vel affectus; sed tantummodo unitatem vel unitionem essentiæ spiritus vel mentis cum Deo; quapropter non negotiatur circa Deum pro tunc sub ratione veri, vel boni, vel amati, vel pulchri; sed in amplexu solo spirituali ineffabili et inexpressibili; sed dumtaxat experimentali unicæ sponsæ cum unico sponso dicente cum sponsa : *Ego dilecto meo et ad me conversio ejus* (1). »

Hoc modo explicanda videtur utraque unio *essentialis* in via mystica, tum *unio sine medio*, tum *unio sine differentia*. Plerumque, uti jam animadvertimus, ægre una ab altera discerni potest; discrimen in natura cognitionis, *fruitioni* prærequisitæ, ponendum esse arbitramur. Dum summum vitæ internæ culmen consistit in celsissima Dei cognitione quæ per *ablationem* et *excellentiam* præsertim habetur, summa Dei cognitio in vita Dei-contemplativa est positiva per quamdam participationem actualem visionis beatificæ. Hinc, dum pro priore non requirit nisi communem illapsum Dei in essentia animæ per gratiam sanctificantem (analogice ad posteriorem unionem naturalem), pro altera, illapsum quemdam specialem Dei in ipsas vires R. adducit (analogice ad priorem unionem naturalem).

Verum est frequenter asserere R. maximum discrimen inter illuminationem supernaturalem viæ et manifestam visionem patriæ; at discrimen illud, de quo nonnisi

(1) *Admonitio quomodo caute legendi sunt quorumdam libri*, in *Gers. opp.*, I, 115.



obscure loquitur, semper e diverso viatorum et comprehensorum statu repetit, ita ut, secundum explicationem Joannis de Scoenhoven ex doctrina S. Thomæ depromptam, *actum* visionis beatificæ viatoribus pro instanti possibilem admittat. Hanc interpretationem necessariam præcipue reddit liber tertius *Nuptiarum spiritualium*, qui, licet forsan ante annum 1336 scriptus fuerit, orthodoxam tamen nec constitutione Benedicti XII damnatam doctrinam de visione beatifica tradit, uti ex Scoenhovii interpretationibus manifestum est.

D) Gersonium falso supposito nixum primam sententiam de R. orthodoxia tulisse censemus. — Nec ejus vitæ, nec aliorum ejus librorum conscius, solum librum *de spiritualibus nuptiis*, eumque latine versum, legerat; durioribus tertiæ partis locutionibus motus, judicaverat illius auctorem non tantum a Spiritu Sancto, quod cæterum ex styli ornatu satis patere censebat, non inspiratum fuisse, sed virum simplicem esse, qui ante constitutionem Benedicti XII cum Begardis forsan de beatifica visione aliqua minus recte sensisset. Hinc caute procedens, « non hæresim simpliciter definierat » (1), sed doctrinam falsam vel minus explicatam esse decreverat. — Porro,

1° Licet Gerson aliquam terminorum explicationem admittat, et ad illam « modestiam » in secunda sua epistola confugiat, ultimatim tamen, ipsam auctoris *intentionem* carpit. Sane, illum hæreticum non aperte designat (2), illum tamen cum hæreticis in doctrina

(1) Cfr. Pom., l. II, c. 7, in *Anal.*, pp. 287-288.

(2) In *Gers. opp.*, I, 62, pro : *Erat autem de secta Begardorum*, legendum est : *Erant*... juxta cod. 4935-43 bibl. reg. Bruxell.

communicasse præsumit. Hoc autem judicium minime certis argumentis niti quisque videt :

2° Ut enim R. mens detegatur, non sufficit alicujus illius operis attenta quamquam et repetita lectio : « In quibusdam enim locis, ait Gerardus ab Hamont (1), subobscurus est, sed alibi eadem aperte ac dilucide explanat, ita ut diversa quamvis scripserit opuscula, et in quibusdam eadem quandoque tractet, ita tamen abstineat a repetitione, præsertim onerosa, eorum quæ alias dixit, ut miro quodam modo quæ in aliis omissa sunt, in aliis explicentur, et diversa licet scripta, optime inter sese quibusdam locis cohæreant ». — Hunc R. agendi modum duplici præsertim causæ attribuimus : ea quippe auctorum mysticorum indoles est, ut eamdem sæpius materiam pertractent, nec integram suam doctrinam uno loco exponant, quum profunda vitæ mysticæ arcana nunquam, ut ea sunt experti, satis exprimere sibi videantur. Illud autem præcipue in R. invenire est, qui, tum in libris suis *systematicus*, pro typi exigentia materiam partitur, tum etiam, amicorum postulationibus cedens vel calumniatoribus respondere volens, quæque suorum librorum obscura, clariori, ut potuit, modo, sæpius retractavit.

3° Ulterius Gerson librum, prout illum in versione latina legerat, sic ab auctore exaratum esse putabat. Hanc quidem versionem a Wilhelmo Jordani, adhuc vivente R., confectam, licet paraphrastice, recte tamen compilatam fuisse censemus; illud non negat Joannes de Scoenhovia, nimisque in « lasciva illa versione », in hujus « corrupto exemplari » innixi nobis videntur R.

(1) *Epistola nuncupatoria*, ed. Surius.



apologistæ (1). Hoc tamen non impedit, quominus forma scripti litteraria et nimis eleganti deceptus, falsum etiam de auctore judicium tulerit Cancellarius, ideoque ad dicta ipsius mitius intelligenda minus indulgens fuerit.

4° Tandem Gerson, R. virum simplicem et idiotam esse sibi referentibus nimium credulus, harum altiorum rerum tractationem illi facilius abjudicat; has enim de nativa ipsius ingenii indole assertiones, a R. historiographis assumptas, non urgendas, sed sensu comparativo intelligendas esse arbitramur (2); hoc innuit Scoenhovius, et cæterum ex ipsis R. libris patet eum neque scientiæ naturalis sui ævi (3), neque scientiæ theologicæ inscium fuisse (4).

5° Hæc sane omnia primum Cancellarii judicium infirmant; hinc, quum per epistolam Joannis de Scoenhovia rem magis compertam ipse habuisset, sententiam in meliorem mutans, non jam intentionem, sed tum R., tum ipsius defensoris Scoenhovii locutiones in secunda sua epistola carpsit.

II. Ad posteriorem hanc quæstionem si gressum faciamus, Ultro concedimus R. locutiones valde improprias et metaphoricas esse.

« En effet, ait Bossuet (5), il ne faut que lire les explications qu'un pieux chartreux de ce temps-là (6),

(1) Cfr. præsertim Gerardus ab Hamont, *Ep. nunc.*— Surius, *ep. ded.*, et *vita*, c. 6. — Faber, *Prologus* ad edit. a. 1513.

(2) Cfr. *Etude sur les mystiques du Moyen Age*, pp. 180 sqq.

(3) Cfr. *de Tabernaculo, de duodecim Beghinis.*

(4) Cfr. *Speculum salutis æternæ.*

(5) *Instruction sur les états d'oraison*, in *Œuvres*. Versailles, XXVII, p. 53.

(6) Respicit ad Joannem de Scoenhovia, quem confundit cum Bartholomæo Carthusiensi, cui missa fuit Gersonii epistola.

en répondant à Gerson, donne aux paroles de Rusbroc dont il était disciple, pour être bientôt convaincu qu'on ne doit attendre ni justesse ni précision dans ces expressions étranges, mais les excuser tout au plus avec beaucoup d'indulgence ».

A) Duplicem illius abusus causam, omnibus fere Mysticis communem, hisce verbis effert Meldensis episcopus :

1° « C'est que, prenant pour modèle les livres attribués à S. Denys l'Aréopagite, ils en ont imité le style extraordinaire, et selon le naturel de l'esprit humain, qui s'étant une fois guindé, ne peut plus se donner de bornes, ils n'ont cessé de renchérir les uns sur les autres ».

2° « Ce qu'on dit de plus avantageux pour excuser leurs expressions exorbitantes, c'est qu'élevés à une oraison dont ils ne pouvaient expliquer les sublimités par le langage commun, ils ont été obligés d'enfler leur style pour nous donner quelque idée de leurs transports (1) ».

Harum etiam locutionum non est expers ipse Gerson, quum eisdem ferme terminis usus ac R., loquatur de « divisione carnis et spiritus », de « transformatione hominis in Deum », exemplis ferri candentis, aëris illuminati, non tamen aquæ vino mixtæ, figurata; de « morte

(1) *Op. cit.*, p. 54. — Errat autem Bossuet, quum *ibid.*, p. 55, novum exemplum exaggerationis citat : « un second exemple tiré du même Rusbroc dans le même livre (*de spir. nupt.*), plus étrange que le premier. » Textus citatus non invenitur in libro *Spiritualium nuptiarum*, sed in libro dubio *de duodecim virtutibus*, c. 2, ed. David, III, 29, 30. Præterea, perperam legit textum Surii, p. 227 : *Idque melius et sapiet, quam si æterno deligere* (non *diligere*) *posset*. Flandrice legitur : *Eñ dat sal hem bet smaken dan dat hi wenschen hadde inder ewicheit.*



mystica », de « absorptione simplificante et uniente cum Deo atque suo modo mentem deificante », etc. (1).

B) Speciatim autem apud R., styli obscuritatem auget duplex præcipue causa :

1° Altera est ipsius, quam jam sæpe allegavimus, ad *systematisationem* propensa methodus.

2° Altera est ipsius cum pseudo-mysticis controversia. Eumdem scopum, duplici via diversa, prosecuti fuisse videntur Gerson et ipse R. (2). Ambo, orthodoxæ doctrinæ mysticæ propugnatores, pseudo-mysticismi figmenta debellant; ast, Gerson, Cancellarii personam induens, doctrinæ expositionem ad scholasticam methodum reducit et orthodoxiæ tesseram habet accuratam terminologiam; R. econtra hæreticis magis concedere videtur (3), eorum modos loquendi admittit et juxta doctrinam catholicam interpretatur, de turpissimis aliquando erroribus dicens : « Veritatem quidem hi loquuntur, sed cum hæresi permixtam ». Illud autem V, 54.
eo facilius explicatur, quod hæreticorum locutiones magnam partem e Scripturis Sacris desumptæ, ab eis ad alienos sensus detorquerentur, re autem vera, orthodoxum sensum refunderent; quod vernacula tandem

(1) Cfr. *de Myst. Theol. specul.*, *cons.* 41 sqq., in *Opp.*, III, pp. 395 sqq. — *Sermo de Spiritu Sancto*, *cons.* 2, *ibid.*, pp. 1241 sqq.; qui sermo ad præsentem controversiam alludere videtur. Gerson laudat et explicat textus quosdam a Joanne Scoenhovio citatos, imo de contemplatione ait : « Hic est *calculus* filiorum Dei habens nomen scriptum, quod *nemo novit nisi qui accipit.* »

(2) Cfr. Engelhardt, *op. cit.*, pp. 276 sqq.

(3) Hoc sensu intelligi possunt Ullmann, *op. cit.*, p. 53; Schmidt, *op. cit.*, pp. 457 et 462; Altmeyer, *Les précurseurs de la réforme*, I, p. 102 : « R. n'a pas su se garder de l'erreur qu'il combat... Il semble flotter entre le théisme et le panthéisme... son système est fondé sur le théisme chrétien et placé entre la mystique hérétique et la mystique catholique, » etc.

lingua, qua cum hæreticis R. utebatur, aliquam sensus patiebatur latitudinem, necdum illius, uti latinæ linguæ, vocibus *technicis*, certa affixa fuerat significatio.

## ARTICULUS III.

### DE RELATIONIBUS JOANNIS VAN RUYSBROECK CUM COÆVIS GERMANIÆ AUCTORIBUS MYSTICIS.

Sæculum XIV sæpius, nec immerito, *ætas aurea Germanici Mysticismi* vocatum est; jam inde ab anno 1250, « ex sinu præsertim Ordinis Fratrum Prædicatorum (1) », prodiere viri celebres, qui, dum ab aliis ejusdem ordinis scholastica methodo tractaretur theologia, lingua populari ipsi utentes, plebi altissimas de perfectione christiana doctrinas tradere ausi sunt.

Horum omnium, tum ingenio, tum auctoritate princeps, extitit « magister » Eckhart. Circa a. 1260 in Thuringia natus, juvenis S. Dominici ordinem ingressus, in schola Coloniensi, Alberti Magni fama adhuc celebri, studiorum suorum curriculum absolvisse videtur; quibus peractis, per tres annos *lectoris* munere probabiliter functus, deinde Erfordiensis conventus Prior et Thuringiæ vicarius factus est; a. 1300 scholæ S. Jacobi Parisiis *lector biblicus*, postmodum Ordinis pro Saxonia Provincialis electus est (1304-1311); illum iterum Parisiis professorem, deinde, Argentorati prædicatorem, a. 1320 Francofordiensem Priorem successive invenimus. In vitæ fine, Coloniæ iterum *lector*, ibidem circa a. 1327, vita functus est (2).

(1) Pfeiffer, *Deutsche Mystiker des 14 Jahrhunderts*, I, p. IX.

(2) Hæc juxta Preger, *Geschichte der deutschen Mystik im Mittelalter*. Leipzig, 1874, I, pp. 325-367.



E. Germanorum Mysticorum caput agnoscitur : tum in lectionibus suis et tractatibus, tum etiam (quod ætati huic proprium est) in suis ad populum prædicationibus, altissimas metaphysicæ quæstiones exhortationibus suis mysticis ita quidem interseruit, ut, effectrici sui ingenii virtute, germanicas locutiones conceptibus philosophicis exprimendis idoneas conderet, quas omnes subsequentes Mystici usurparent. Periculum autem, quod in metaphysicis hisce speculationibus latebat, evadere non valuit; pantheisticæ emanationis doctrinam, quam tribus elapsis sæculis ex operibus Pseudo-Dionysii J. Scotus Erigena deprompserat, videtur E. recudisse sicque Begardorum theses scientifico quodam nexu colligasse. Totum nempe sui systematis *processum* ad *egressum* quemdam creaturæ præsertim rationalis a Deo, atque ipsius in suam Originem *reditum* reducit; hæc autem ita videtur intelligere ut animæ creatio non sit nisi illius ab ipsa Dei essentia emanatio vel generatio, Verbi divini generationi identica; reditus ad Deum per merum quietismum fiat; illius tandem reditus culmen sit animæ in Deum transformatio et conversio essentialis (1). Auctoris intentionem excusare aliqui conati sunt (2); ipse E. propter suas doctrinas de hæresi *liberorum spirituum* suspectus, et ad Inquisitores delatus, 13ª die Februarii a. 1327, in ecclesia ordinis Prædicatorum domus Coloniensis, publicam emisit fidei professionem, pluraque sibi imposita retractavit atque juxta

(1) Cfr. Greith, *Die deutsche Mystik in Prediger-Orden*. Freib. i. B., 1861, pp. 61-69; Preger, *op. cit.*, pp. 368 sqq.

(2) Cfr., e. g. Quétif et Echard, *Scriptores Ordinis Prædicatorum*. Paris, 1719, I, p. 507 sqq.

suam intentionem explicavit (1). A. autem 1329, die 27ª Martii, 28 propositiones ex ipsius operibus desumptæ a S. P. Joanne XXII bulla *in Agro Dominico* damnatæ sunt (2).

Non parvum momentum in suos coævos habuit E.; ipsius præcipui discipuli, Tauler et Suso, O. P., suam reverentiam erga eum quem *der heilige Meister*, *der selige Meister* vocant, in omnibus suis libris testantur (3). Horum systema mysticum, licet ad E. methodum accedat, sui tamen cujusque generis esse videtur; quod E. obscurius, Tauler clarius et magis practice, Suso *amantius* et magis poetice evolvit. « Inter præstantissimos omnium ætatum Mysticos, ait Denifle (4), numerandus est Tauler, qui maximam luciditatem mirabili profunditati miscet, copiosamque imaginationis vim cum severa gravitate sociat, dum beatus Henricus Suso, *der Fra Angelico in der Mystik*, licet minus profundus quam Tauler, inter omnes Mysticos tenerrimam piissimamque naturam possidet : talis revera, quem nullus in adhortando superare possit ». — Præter illam famosam triadem, Coloniæ præsertim, quæ Mysticorum Germaniæ veluti metropolis fuisse videtur, vivebant viri multi perfectionem christianam sectantes, nonnullorum etiam mysticorum tractatuum auctores, qui nomine « verorum Dei amicornm *(wahren Gottesfreunden)* » vulgo designantur. Horum in operibus Susonis et Tauleri frequens fit mentio : inter eos autem præcipuus diu habitus est

(1) Cfr. Preger, *op. cit.*, *App.* III, p. 475.

(2) Cfr. Preger, *op. cit.*, *App.* V, p. 478.

(3) Greith, *op. cit.*, p. 63.

(4) *Das geistliche Leben. Blumenlese aus den deutschen Mystikern und Gottesfreunden des* 14 *Jahrhunderts.* Graz, 1880, *Einleitung*, p. XIII.



laicus quidam « gratia ditissimus », *der groszer Gottesfreund aus Oberland*, cujus exhortationibus motus Tauler circa a. 1346 conversus esset, vitæque mysticæ exercitia peragere cœpisset. Taulerum enim esse putabant « magistrum Sacræ Scripturæ » de quo loquitur *das Meisterbuch* sive sic dicta *historia conversionis Tauleri*, omnibus fere T. operum editionibus præfixa. Hæc autem acta, jam a Quétif et Echard « parabolice maximam partem accepta » (1), nonnisi figmentum a laico quodam « amico Dei » Argentoratensi Rulman Merswin compositum esse nuper probavit P. Denifle (2).

Quum, eo tempore quo E. suos tractatus propalaret, R. jam Bruxellis vitæ mysticæ exercitiis operam impenderet, indubium est illum celeberrimi « magistri » doctrinas notas habuisse. Cæterum inter illius et Germaniæ Mysticorum libros manifestam conspicere licet conformitatem : utrimque eædem similitudines sumptæ ex septem donis Spiritus Sancti, ex septem operibus misericordiæ, ex scala spirituali, etc., ad theoriam mysticam exponendam adhibentur; utrimque querelæ eædem de statu Ecclesiæ occurrunt, licet in R. operibus apocalypticæ prævisiones, aliis familiares, non inveniantur; utrimque eadem fere terminologia usurpatur; utrimque tandem, eædem metaphysicæ quæstiones tractantur idemque habetur disserendi modus. Ast, quod jam in Taulero (3), præcipue vero in Susone animadvertendum

(1) *Op. cit.*, p. 677. — Cfr. Jundt, *Les amis de Dieu au quatorzième siècle.* Paris, 1879, pp. 1-7, ubi controversia hac de re exponitur.

(2) *Die Dichtungen Rulman Merswins*, in *Zeitschrift für deutsches Alterthum*, XII, 1880, et XIII, 1881. — Cfr. Jundt, *Rulman Merswin et l'ami de Dieu de l'Oberland.* Paris, 1890, pp. 40 sqq.

(3) Bossuet, *Instr. cit.*, p. 54, Taulerum vocat « un des plus solides et des plus corrects des mystiques. »

est, locutiones E. pantheismum sapientes R. ad rectam orthodoxiæ formam reducit.

Totum quidem vitæ mysticæ *processum* in *egressione* animæ a Deo ipsiusque ad suam originem *reditu* R. concludit; at. spectatis correctionibus interpositis, spectata comparatione cum hæreticorum doctrina sæpius exhibita, manifesto patet orthodoxum sensum refundi. Egressionem animæ a Deo intelligit ipsius creationem liberam, factam a Deo secundum ideam exemplarem quam in sapientia sua habet. Hinc duas Filii generationes distinguit : alteram quidem propriam in Deo, qua Filius Patri consubstantialis generatur; alteram autem allegoricam, manifestationem sc. sapientiæ divinæ in diversis operibus ad extra, quæ sub hoc respectu *per appropriationem* Filio tribuuntur. Hinc etiam, *similitudinem* animæ cum Deo extollit, sed juxta verba creationis, nunquam *æqualitatem* essentiæ intelligens, uti ex oppositione inter imaginem et similitudinem sæpius facta patet. Otiositatem seu inactionem commendat, sed illam tantum quæ in abnegatione propriæ voluntatis (1) et in exclusione operum ab unitate distrahentium consistit. Culmen tandem vitæ mysticæ in unione animæ cum Deo ponit, non quidem per identitatem essentiæ, sed per amorem et fruitionem intellecta. — Tantum autem abest ut heterodoxas E. doctrinas R. amplectatur, ut econtra ipsius theses, propositiones præsertim damnatas 10-13, 20-22, 26, in libro *de duodecim beghinis* ex professo refellat.

Cfr. supra, pp. 111 sqq.

(1) Quæ iterum doctrina thema est Mysticis sæculi XIV consuetum. Cfr. *Paradigma elegans quod in vetusto quodam exemplari Confluentino, nuptiis spiritualibus Rusbrochii asscriptum* a Surio repertum et in *opp. R.*, p. 550, editum est. — R. illam vocem eo sensu multoties explicat, v. g. II, 195 : *Ledich ende sonder eighen verkiesen.*



R. tandem consodalis et discipulus Joannes de Leeuwis « bonus cocus » Viridisvallis, a. 1377 mortuus, integrum librum scripsit *contra errorem dogmatis magistri Echardi* (1). *(Van meester Eckaerts leere daer hi in doelde).*

Speciatim autem R. character in multis ad Tauleri genus accedere videtur (2); imo, nonnulli R. Tauleri in vita mystica institutorem fuisse autumarunt (3). Hæc opinio nititur in narratione quæ cap. XI *vitæ Rusbrochii* a Surio editæ, habetur : « Hic (T.) venerabilem virum Joannem Rusbrochium sæpius invisens, in summa habuit reverentia. Quantum autem apud eum in vitæ internæ ac contemplativæ cognitione profecerit, scripta ejus testantur, in quibus non pauca passim conspicere licet, quæ dubium non sit eum a venerabili Rusbrochio mutuatum. Quamvis enim majori esset scholasticæ (quam vocant) theologiæ cognitione præditus atque Rusbrochius, in mystica tamen theologia et vita contemplativa longe illo fuit inferior. Quod tamen nulli mirum videri debet, quando Taulerus quinquagenarius demum contemplationi sese dedidit, et paucis post annis supervixit; Rusbrochius autem pene puer illi sese vitæ tradidit, singulari quadam Spiritus sancti gratia præventus, atque in ea usque ad 88 ætatis suæ annum, non absque ingenti quotidiano profectu, perseveravit ».

Ille adventus T. in Viridemvallem ad Priorem invisendum, nobis valde improbabilis videtur. Historia enim Pomerii, unde Surii *vita* certo hausta est, loco corres-

(1) Pom., III, 2, in *Anal.*, p. 310.

(2) Ita fere Arnoldus, *Historia et descriptio theologiæ Mysticæ*. Francf., 1702, p. 312.

(3) Gerardus ab Hamont, *Epistola nuncupatoria*, in *opp. R.*, ed. Surius.

pondenti non de Taulero, sed de quodam *Canclaer* (1), seu *Conrardo Tanclaer* (2) « doctore sacræ paginæ, Ordinis Prædicatorum » loquitur, de quo dicit : « *Hic devotum Priorem frequenter visitans, in summa habuit reverentia* (3). A quo nimirum doctor magnus et parvus discipulus per suæ humilitatis exercitium non parvum meruit veræ sapientiæ experimentum, quemadmodum idem in suis tractatibus satis indicat, quos haustu veritatis per longa temporis intervalla ad instar Prioris ornate edidit ac sub materno idiomate ob sui magistri, Prioris scilicet reverentiam, in magnæ devotionis rivulum dilatavit. » Putaverim igitur *vitam Surii* hic a veritate deficere; sane a quodam « amico Dei (4) » Germaniæ ex opusculo Pomerii hausta fuerit; auctor autem Tauleri, utpote qui « amicorum Dei » caput agnosceretur, mentionem interseruerit, non sine allusione ad *historiam conversionis Tauleri* in quam aliquod fuisset R. momentum; addita enim adjuncta, notiones sc. chronologicæ, optime huic historiæ, minime vero rei veritati quadrant (5).

(1) Pom., II, 18, in *Anal.*, p. 296. — Ita etiam omnes codices opus Pomerii continentes.

(2) Ita, ex Pomerio, P. Impens, *Chron. Bethl.*, f° 25v. — Gramaye, *Antiquitates Belgicæ*, Lov., 1708. *Bruxella cum suo comitatu*, p. 30, illum « Bernardum » Tanclaer « Parisiis S. Theologiæ professorem » nominat, illiusque de R. effatum citat.

(3) Manifesto patet utriusque narrationis loca sibi invicem respondere; hinc falso Mastel., *op. cit.*, p. 30, Pomerii et Surii dicta connectens, duos viros : Conrardum Tanclarium et Taulerum, nominat.

(4) Cfr. c. 1, ubi loquitur de « precibus et lachrymis *amicorum Dei* in hac etiamnum vita mortali positorum »; c. 4 : « semper enim latent *amici Dei*, et difficile, præterquam a sui similibus, possunt agnosci. »

(5) Quinquagenarius enim Tauler jam vitæ mysticæ operam impendebat; præterea plus quam quinquagenarius esse debuisset, quum post annum 1349 R. visitavit; ipse autem circa a. 1390 natus erat. — Conversionis historiæ etiam alludere videtur cod. mox cit. in Engelhardt, *op. cit.*, p. 346 : *Sihe in der Vorrede des Tauleri postil zu Cöln gedruckt*, *do wirt des Reisbruch gedacht*.



Quisnam autem fuerit iste Conrardus Tanclaer, accurate definire non possumus (1).

Verum autem esse videtur quod de R. et T. operum convenientia a Surio asseritur. Ut enim concionem super *Ecce sponsus venit : exite obviam ei*, libro *Spiritualium nuptiarum* alludentem, qui in Tauleri historia « magistro Sacræ Scripturæ » tribuitur, omittamus, duo alii certi T. *sermones* ex R. operibus perscripti sunt : *sermo 1 in Dominica 1 Quadragesimæ* integrum librum *de quatuor tentationibus* reddit; *sermo 2 ejusdem Dominicæ* capp. 45, 32, 75-77 *libri 2 Spiritualium nuptiarum* refert, ita ut revera, quemadmodum Bossuet animadvertit (2), ex operibus R. Tauler Begardorum descriptionem hauserit. Integrum *de duodecim virtutibus* librum *Institutiones*, quæ Taulero tribuuntur, capp. 9-21 complectuntur, dum illi alludit *sermo 1 in Dominica 3a post Trinitatis;* eædem tandem *Institutiones* libri *de calculo* initium, cap. 27, continent. Liber quidem *de duodecim virtutibus* dubie tantum R. auctorem habet (3); at saltem librum 1 *de spiritualibus nuptiis* supponit, quum hujus libri capitum 12-15, ille et, consequenter, *Institutiones*, paraphrastica quædam explicatio esse videantur. Taulerum R. opera exscripsisse, non econtra, ex inspectione præsertim *sermonis 2 in Dominica 1 Quadragesimæ* patet; eam prætercea esse R. indolem novimus, ut, nedum excerpta quædam aliorum librorum

(1) Forsan hoc nomine designatus fuerit Conrardus de Saxonia, de quo cfr. Quétif et Echard, *op. cit.*, p. 640.

(2) *Op. cit.*, p. 390; cfr. p. 56. Posteriorem hunc sermonem, p. 388, plurimum laudat. — Hanc opinionem Quétif et Echard, *op. cit.*, p. 380, falsis innixi suppositis, non admittunt.

(3) Ita explicat Denifle, *Tauler's Bekehrung kritisch untersucht*. Strassb., 1879, p. 37.

Cfr. supra, p. 12. ad litteram assumat, potius textus a se allegatos memoriter ac libere recitet; libri tandem quos enumeravimus, inter primos a R. conscriptos recenseri debent. — Putamus igitur operum R. Taulerum in Germania conscium fuisse, atque ex iis, quæ apta sibi viderentur, exscripsisse.

Cæterum, non dubium est omnia Mysticorum hujus ævi opera in varias regiones sparsa fuisse; R. liber præcipuus, *Ornatus spiritualium nuptiarum* magna cito fama pollens, ubique vulgatus est. Anno 1382 (1), in ultimis vitæ suæ diebus (2), Rulman Merswin librum conscripsit *de præveniente gratia et de meritoria gratia in quo etiam describuntur septem dona Spiritus Sancti*, qui excerptis primi et secundi libri *Spiritualium nuptiarum* constituitur (3). Hujus libri-inscriptio, ab ipso auctore apposita, sic sonat : *Dis ist gar ein gewore fruhtber nütze lere genummen uſser den anuange des brunluſt buchelins das ein lieber heiliger weltprieſter in Prabant*

(1) Mortuus est Rulman Merswin 18a die Julii a. 1382. Cfr. Jundt, *Rulman Merswin*, p. 32.

(2) Uti patet ex inscriptione a Johannitis, qui R. M. ut fundatorem venerabantur, huic operi affixa : *Dis ist das bůch von der fürkummenen Gnoden vnd von der verdienlichen gnoden in den och geschriben stont die VII goben des h. geistes dozu der liebe stiſter vulman merswin* (*Rulman Merswin*) *von Gott betwungen wart, daſs er dis selbe bůch schriben mūſt in ſinen allerhinderſten ſūchtagen der groſsen geſwuſt des er och zu hant darnach starp, vnd do er sich des ſchribens uſser groſser Demūtikeit werete vnd sin liplich groſse Krāgheit fürbot domit er ſich des ſchribens gerne entſlagen hette, do wart innerlich von Gott zu im geſprochen waz im die Krāgheit sines libes schatte got lies im doch das höbet gesunt vnd ſtarg vnd er en durſte es och im ſelber nit zulegen er ſolt es in das brunluſt büchel ſchriben vnd die ere gotte geben vnd das Werg zulegen B. Johannes von rūſebruch den lieben heiligen Walt brieſster in brobant domit ŏch dieſe ſelbe materie aangeſongen und begriffen ist.* Engelhardt, *op. cit.*, p. 346.

(3) Cfr. Engelhardt, *op. cit.*, pp. 347-382.



*schreip, heiſset Johannes Rüsebruch vnd ſante es harus in oberlant den gottes ſrienden des jubeljores, do man zalte von gottes geburt XIII C und L jor* (1). Juxta hanc inscriptionem, a. 1350 in Germania superiori missus fuerit R. liber. In codice hujus scripti ab Engelhardt edito, manu recentiori additum est : *Ich befind daſs es des Tauleri ist, etc. oder D. Eckharts. Doct. Johannes Reisbruch von Brussel hat zu ihrer Zeit zu Cölln gelebt, vnd iſt hocherleucht gewesen.* Hujus commorationis Coloniæ nullum alibi indicium invenimus, nec alicujus personalis relationis cum Coloniæ Mysticis signum certum, nisi forsan R. *epistolam ad tres inclusos apud S. Pantaleonem*, compertum habemus. Ad monasterium autem Viridisvallis « de Argentina ac Basilea ac aliis Rheni præcipue partibus doctores ac clericos non mediocres venisse » testatur Pomerius (2).

Hæc sunt relationum R. cum auctoribus Germaniæ mysticis documenta; ex eis patet R. aliquam actionem in hos habuisse, non tamen horum posse dici magistrum et institutorem; vicissim autem, hi in illum non magni valuerunt, sed videntur potius ejusdem aevi ad mysticismum propensi diversas exhibere manifestationes.

(1) *Ib.*, p. 345.

(2) II, 18, in *Anal.*, p. 296.

# CAPUT II.

## DE PARTIBUS QUAS HABUIT JOANNES VAN RUYSBROECK IN ECCLESIÆ REFORMATIONE.

Practicam R. indolem expositari, ex ipsius primum operibus tum miseri Ecclesiæ status descriptionem, tum remedia ab eo contra malum proposita depromemus. Quibus peractis, utrum et qua ratione ipse Ecclesiæ reformator dici possit, sub duobus iterum articulis, discutiemus.

### ARTICULUS I.

#### DESCRIBITUR STATUS ECCLESIÆ.

Licet summam semper Ecclesiæ reverentiam R. exhibeat, maxima tamen libertate abusus in ea vigentes corripit; verbis energicis suamque prodentibus indignationem, in perversos invehitur et Ecclesiæ miserum statum graphice et diserte depingit.

I. Populi christiani vitam impudicam detestatur : tum
viri, ait, tum præsertim mulieres, inhonestas induunt
II, 175-177. vestes, quibus omnes ad peccatum alliciantur. Minus
tamen in laicos excandescit « quorum multi mundum
II, 120. per Dei sapientiam vincunt », quam in Ecclesiæ prælatos
et monachos, qui corrupta vita sua alios in peccatum
inducunt. « Laici sunt magis tractabiles et flexibiliores
hodierno tempore ad virtutes quam monachi », ait etiam
R. coævus Petrus de Herenthals (1).

(1) *In epistola ad fr. Joannem de Hollandia, canonicum regularem Viridisvallis*, in cod. Mus. archeol. Namurc. nº 23, p. 241v.



II. Clerum maxime R. reprehendit, licet singulorum
sacerdotum defectus judicio Dei relinquendos esse fa- II, 146-147.
teatur. Sacerdotii dignitatem pulcherrimis verbis com-
mendat; viris, qui hoc honore sunt insigniti, obedien- II, 137 sqq.
tiam ab omnibus præstandam esse præcipit, bonorum II, 123 sqq.
tandem sacerdotum laudes celebrat; at, quum *corruptio
optimi sit pessima (so hoegher staet, so swaerre val)*, eo
majori vehementia malos Ecclesiæ prælatos increpat.
Triplex nefandum peccatum eis exprobrat : acediam seu
pigritiam *(traecheit)*, avaritiam *(ghiericheit)*, et luxuriam
*(oncuuscheit)*. — Prælati S. Ecclesiæ, ait, non ut pastores
boni, de ovibus sibi commissis curant, sed potius, lu-
porum instar, eas perdunt; ipsi enim in domibus suis
luxui deditam vitam agunt, sicque, in sumptibus, Christi
patrimonium, quod ad aliorum indigentiam sublevandam
acceperant, profundunt et dissipant. — Avaritia sua moti, II, 178-180.
omnia pro pecunia vendunt, quo fit ut divites multa sibi
bona spiritualia acquirere possint, pauperes vero nihil. II, 173-174; 180-181.
Simonia ubique regnat : inter presbyteros « videtur
Judas plures habere discipulos quam Christus »; non
solum enim pro suo externo labore stipendium exigunt,
quod utique licet, sed etiam bona Ecclesiæ quæ gratis
acceperunt et gratis dare debent, imo, si fieri posset, II, 119-121.
Christum, ejus gratiam et vitam æternam, ipsi, Judæ
similes, venderent. Mira profecto vis est pecuniæ : emi V, 151-159.
debent episcopatus, abbatiæ, et dignitates : *ende dit* V, 238-240.
*leede onghemac es contagioes, ende es voortghegaen, ende
heeft besmedt alle de religie ende al dat paepscap der
werelt*. Hinc provenit pluralitas beneficiorum : quo plura
quis habet beneficia, eo magis acquirere cupit; *ende al
gheeft de paeus orlof meer provenden te houdene dan
eene, hi en mach niet orlof gheven ghierech ochte vrec te*

*sine. Maer ghierecheit ende vrecheit, dat sijn.ij. provenden, die de duvel someghen riken papen ende canoneken gheeft, ende selke behoudense eweleec.* Hinc etiam, majoris lucri capiendi gratia, de iis occupantur, quæ sacerdotes minime decent, et ad sua officia peragenda
II, 182-184. vicarios seu mercenarios sibi locare debent. — In pessimum tandem impudicitiæ scelus plurimi labuntur, tantaque apud illos nonnunquam est corruptio, ut illos
II, 185. malæ suæ vitæ minime pudeat.

III. Ordines religiosos etiam non modicum carpit R.; monachorum superbiam, acediam, aliaque vitia acriter pungit. — Inter eos aliqui ita sunt subtiles et hypocritæ ut sanctitatem apprime simulent, quo ad prælaturæ honorem evehantur; quem cum adepti sint, officiorum suorum nullum adimplent. Nedum solitudinem et recollectionem diligant, mundum econtra sectantur, et quoties possunt, toties monasterium suum relinquunt; luxui præterea sese dedunt: moniales præsertim, cum exeunt, multis peccatis occasionem præbent. Regulam suam parum curant, et officia sua vix adimplent; gulæ inserviunt. Nihil proprii se habere verbis quidem profitentur,
II, 186-190. Cfr. IV, 14, 66, 84, 112. factis autem minime ostendunt; econtra, in monasteriis nulla sunt *communia*, omnia vero singulis propria, sicque inibi regnat diabolicum illud *proprietatis* peccatum *(ene duvelike sonde, ende dat is onghemeinheit van*
V, 181. *herten, van sielen ende van erdschen guede)*.

*Ordines mendicantes*, tunc temporis maxime auctos, speciatim reprehendit R.; eorum rapacitatem et inordinationem, abusus omnes in eis vigentes vivide describit.

A corruptione generali illos tantum eximit qui in inclusis monasteriis degunt, *alse de Sarteroise ende alle*
II, 190-194. *de joncfrouwen die in beslotene cloestere sijn.*



## ARTICULUS II.

### DE REMEDIIS CONTRA HOC MALUM PROPOSITIS.

Quid contra tantam malorum colluviem valuit R.? — Sane, ipsius actio in monasterio Viridisvallis præsertim manifesta est; quantum ipse, Prior congregationis effectus, regulæ strictæ observationi incubuerit, nobis aperit Pomerius (1); quantum autem in sanctitate profecerint fratres, nobis testantur coævi : « Licet hæc domus sit intra locum horroris et vastæ solitudinis situata, ait Petrus de Herenthals (2), tamen est nominatissima in observantia religionis. Cujus sacræ conversationis opinio, velut lucerna supra candelabrum posita et civitas in vertice montis collocata lucens et parens, placidam apud procerum vulgique aures respersit per documenta virtutum famam honestatis ». — Hujus cæterum « primordialis fervoris » vivida citantur exempla : Joannes de Leeuwis, Joannes de Cureghem, Wilhelmus Jordani, Joannes de Scoenhoven, multi « postremo venerabiles patres, qui etsi sanctitatis nomine non pertitulantur, beatæ vitæ et sanctissimæ conversationis post se memoriale nomen reliquerunt in benedictionibus (3) ».

Ast, non intra exiguum Viridisvallis claustrum continebatur devoti Prioris zelus: consiliis suis, fidelium, clericorum et monachorum animos ad sanctitatem informabat, tantaque ipsius vitæ sanctæ ipsiusque verborum vis erat, ut miranda prorsus in iis qui sibi committebantur, effi-

(1) Pom., II, 22 et 25, in *Anal.*, pp. 299 et 301.
(2) *Ep. ad Joannem de Hollandia*, in cod. cit. p. 240.
(3) P. Impens, *Chron. Bethl.*, l. I, a. 1, § 4.

ceret (1). Scriptis denique suis, in religiosis congregationibus ardentem pietatis et omnium virtutum affectum excitabat. Librum *Regni amorosorum* a Joannis *notario* conventui Carthusianorum in *Hérinnes* communicatum fuisse ex *prologo fratris Gerardi* (2), ejusdem conventus, compertum habemus. Ad eorumdem fratrum «instantiam» compositus est liber *Samuel* (3). Auctore vivente, « ad fratres de capella Thosan » directa est latina translatio *Nuptiarum spiritualium* a Wilhelmo Jordani edita (4).
Librum *de septem seris* sive *clausuris* ipse R. direxit ad
monialem domicellam Margaritam de Meerbeke, cantri-
Cfr. IV, 63. cem conventus S. Claræ Bruxellis; *Speculum salutis*
Cfr. III, 235. *æternæ* rogante aliqua moniali clarissa, conscripsit;
epistolas tandem ad diversas tum in conventibus, tum in mundo degentes devotas feminas misit. Cum monasteriis Carthusianorum in Hérinnes (5) et Clarissarum Bruxellis (6), potissimum relationes habuisse illaque sæpius invisisse videtur R.; cæterum, ejus libros in omnibus monasteriis fuisse vulgatos probat multiplicitas codicum in quibus inveniuntur.

Mirum autem est quanta arte speculationibus suis metaphysicis practica admodum consilia R. miscuerit : Mysticorum præcedentium vestigia premens, monasticam regu-
V, 163-179. lam interpretatur; tria monastica vota optime evolvit; sane
ad horarum recitationem juvandam, juxta septem officii
V, 210-280. partes totam Christi passionem explicat. Liber *de septem*

(1) Cfr. Pom., II, 19, in *Anal.*, p. 297.
(2) In David, I, *Voorr.*, p. IX.
(3) Ibid. Cfr. cod. 2412-2413 bibl. reg. Bruxellensis.
(4) Cod. 4935-43 bibl. reg. Bruxellensis.
(5) *Prol. fratr. Gerardi, loc. cit.*
(6) *Epistola ad Margaretam de Meerbeke*, in Surio, p. 525 : « æstate præterita, cum in vestro essem cœnobio. »



*seris*, qui jure *norma bonæ ac religiosæ vitæ* (1) vocatus est, ad minutissima quæque vitæ religiosæ descendit, et regulam a moniali quavis die observandam (2) proponit. Ubique, prope amaras, quas exposuimus, de statu Ecclesiæ querelas, commoventes ad vitam in meliorem mutandam exhortationes habet R.; duo autem præcipua contra defectus vigentes commendat : vitam internam seu devotam, dissipationi oppositam, et vitam *communem*, pessimo *proprietatis* vitio contrariam.

Omnia *vitæ internæ* exercitia juxta secundum *Nuptiarum spiritualium* librum superius descripsimus; vitam
autem *communem* intelligit R. vitam perfectissimam,
quæ ipsius vitæ internæ, imo et vitæ contemplativæ VI, 112 sqq.
culmen est et fastigium. Hæc vita consistit in eo quod IV, 246 sqq., 264; VI, 238.
homo simul et ad proximum virtutibus exeat, et in seipsum introvertatur *(uut- eñ inkeeren)*; quod simul et cum Martha negotietur et cum Maria otietur *(werken eñ ghebruken)*; quod tandem « cum omnibus bonis actibus ad Deum, et a Deo ad proximos adjuncti et accommodati simus, ita ut cum hominibus universis ad Deum ingrediamur, et rursus cum Deo ad cunctos homines egrediamur *(alsoe dat wi in gaen met allen
menschen te Gode, ende weder ute gaen met Gode tot
alle menschen)*. » Homo igitur *communis*, tum inten- II, 168-169.
tione, tum opere, *communi* caritate prosequitur omnes
proximos, i. e., omnes qui secum divina beatitudine Cfr. II, 8.
frui possunt : ad peccatores, ad animas purgantes, ad seipsum et ad omnes homines bonos exit, sicque Deum

(1) Juxta Val. Andr., *Bibl. Belg.*, p. 555.
(2) Cfr. IV, 112 : *Ende hieromme hebbic u ghescreven hoe ghi enen dagh leven sult.*

Cfr. supra. VI, 112 sqq. inter et hominem mediator constituitur. Hanc vitam communem nos docet ipsa natura, quam universam Deus ex mera liberalitate creavit et nobis subjecit, ut nos Deo serviremus : « Vera enim nostræ vitæ ratio *(de rechte waeromme ons levens)* ea esse deberet, ut nos vicissim alii alios amore et fide prosequeremur, et in cunctis actibus nostris Dei honorem intenderemus et cuperemus. » Hanc inculcat *Oratio Dominica*, quæ oratio communis est, tum ad honorem Dei, tum ad omnium hominum utilitatem, ordinata. Hanc suadet ordinatio divina, qua fit ut omnia opera bona, licet diversa, communem tamen omnibus fructum habeant; Ecclesia enim
II, 170, 171. corpus est, cujus omnia membra sibi invicem inservire debent, et cum capite suo Christo unita, Deo perpetuum præbere honorem. Hinc provenit communio sanctorum,
I, 220-225, 278. et meriti uniuscujusque in omnes redundantia; ideo et
II, 3; IV, 65. ipse summus Pontifex *servus servorum Dei* vocatur, et talis revera esse debet.

Primitivæ Ecclesiæ *communitatem* R. admiratur, illiusque exemplum coævis suis proponit : « Perseverabant omnes fideles in doctrina Apostolorum, inquit, sicque digna Dei oblatio fiebant; eis *communiter* Apostoli quotidie panem frangebant, tum panem vivum Sancti Sacramenti, tum victus corpori necessarios; nemo enim proprium bonum habebat, sed eis erant omnia communia. Si quis patrimonium suum vendebat, illius pretium ad pedes Apostolorum afferebat, qui illud dividentes, unicuique quod illi opus erat, largiebantur :
II, 117. Cfr. V, 160-163. et omnes erant unius cordis, unius animæ, unius in caritate voluntatis. »

Christum vero præsertim, « *communem* servum *(ghemeine dienaer)* », uti vitæ communis typum perfectissimum
II, 3.



R. exhibet. Christus nempe *communiter* ad omnium hominum salutem in mundum missus est. In tota vita sua, Cfr. II, 91-93. III, 120.
*communem* se præstitit : « sublimes illius et intimæ preces ad Patrem effundebantur, et omnibus qui salvari volunt, communes erant. Christus communis erat in amando, in docendo, in corrigendo, in consolando cum mansuetudine, in dando cum largitate, in remittendo cum misericordia. Anima et corpus, vita et mors, cuncta illius ministeria erant et sunt communia... Nunquam cibum, nec potum, nec quidquid ad corporis sustentationem requirebatur, accepit, quin omnium hominum unquam salvandorum communem utilitatem intenderet. Christus nihil proprii *(niet propers noch eighens)* habebat, sed omnia communia erant, corpus et anima, mater et discipuli, pallium et tunica. Propter nos comedit et bibit, vixit et mortuus est. Ipsius cruciatus, passio et miseria illi propria fuerunt, sed fructus et utilitas, inde exorta, sunt communia, et meritorum ejus gloria æterne communis erit. Christus thesaurum suum et reditus suos *(sine renten)* in mundo reliquit, septem videlicet sacramenta et Sanctæ Ecclesiæ externa bona, quæ dolorosa sua morte acquisivit *(dat hi met sire doot verarbeit heeft)*; quæ communia esse deberent ». Præcipue tandem, Christus seipsum *communiter* omnibus tradidit in venerando Eucharistiæ sacramento. VI, 119-125.

---

Operæ pretium erit animadvertere tria hæc præcipua, quæ in vitæ communis descriptione offendimus, sc. devotionem ad S. Eucharistiam, reditum ad primordialem Ecclesiæ statum, ac tandem Christi imitationem, fre-

quenter uti vigentium malorum efficacia remedia a R. evolvi, ita ut ipsius operum signum caracteristicum sit illorum punctorum tractatio.

Non solum, quod jam diximus, luculenter R. doctrinam eucharisticam tradit, sed etiam verbis amantissimis suamque intimam devotionem spirantibus, venerabilis
Cfr. V, 1-17. sacramenti laudes celebrat; « gratiam Eucharistiæ mirifice
extollit »; conditiones ad corpus Christi recipiendum ne-
Cfr. supra. III, 144-149. cessarias, exemplo virtutum quæ in Maria virgine
elucebant, describit; practice admodum homines parti-
III, 177-207. tur secundum quod digni vel indigni sunt qui ad sacra-
mentum accedant; Eucharistiam tandem ut perfectionis
Cfr. Sur., 529 sqq. christianæ centrum exponit.

Ut potentius animos commoveat, sæpe R. inter florentem Ecclesiæ primitivæ statum, et turpem coævorum prælatorum vitam comparationem instituit, et dolens addit : *Ende hier omme, ware priesterscap alsoe onstichteleec gheweest in den beghinne der heilegher kerken alst nu es, kersten gheloeve en ware so verre niet comen;*
II, 185. *maer nu sijn alle state ghedaelt van haren beghinne.*
Tum etiam, lapsis monasteriis originis sanctitatem,
Cfr. supra. fundatorum recollectionem et virtutes proponit.

Nihil autem ei antiquius est quam ut Christum ceu
III, 220. « omnium virtutum exemplar » exhibeat. — Verba, quæ
Moysi Tabernaculum ædificaturo Deus fecit : « Inspice,
Ex., XXV, 40. et fac secundum exemplar », omnibus christianis relate
I. 181. ad Christum dicuntur. Ipsius vita et virtutes omnium
oculis obversari debent; illius præsertim passionis me-
I. 240-241; IV, 68. moria continuo fovenda est; cauti tamen esse debent qui in passione Domini se exercent, quum Illum amore sensibili prosequentes, indiscreti fieri, nimiisque mortificationibus seipsos obruere facile possint; illi, prope



humanitatem, Ipsius divinitatem contemplari debent. I, 244-247.
Christum deinde in omnibus sequentur *(na volgen)*; Ipse enim caput est, cui omnia corporis membra, sc. chris-
tiani, similia esse debent. — Hanc Christi imitationem I, 149.
data opera exponit R. in *Regno amorosorum*, in quo illam singulis christianæ perfectionis gradibus applicat, et in duobus primis libris *Nuptiarum spiritualium*, in quibus Christus uti vitæ tum activæ, tum internæ typus exponitur.

### ARTICULUS III.

#### AN JOANNES VAN RUYSBROECK VERE DICI POSSIT REFORMATOR.

Huc præcipue pertinent partes quas habuit R. in canonicorum regularium S. Augustini reformatione et in Fratrum vitæ communis fundatione. Illum agnoscit Thomas a Jesu « auctorem totius Reformationis Windesimensis, in qua hodieque (1623) triginta amplius Canonicorum Regularium florent Monasteria, præter quinquaginta, vi per hæreticos occupata (1) ». Cum hoc auctore concinunt P. Impens (2), J. Latomus (3), Mastelinus (4),

(1) *Relatio cit.*, p. 3.

(2) *Chron. Bethl.*, l. I, a. 2, § 1 : *Fundatio monasterii Viridis Vallis quæ fuit vena unde processit fons et inchoatio reformationis novæ canonicorum regularium in his terris*; § 3 : *de fratre Johanne de Ruysbroeck, devotissimo patre, cujus occasione reformatio per totam bassam Alemanniam inchouta est.*

(3) *Corsendonca*, in *epist. dedic. ad P. Parys. priorem celeberrimæ canonicæ Viridis-Vallis*; dicit ipse Viridem-Vallem fuisse venam ex qua *in universum Windesemense capitulum omniaque ejus membra, Ordinis Canonici reformatio juxta instituta divini illius et illuminatissimi viri Joannis Ruysbrochii profluxit.*

(4) *Necr. Vir. Vall.*, p. 94; R. habet ut *authorem reformatæ congregationis Windesemensis Canonicorum Regularium*, quum *omnia ad exemplum et normam illius monasterii Viridisvallis fuerint sensim fundata et reformata.*

Sanderus (1), Paquot (2), tum omnes generatim Neerlandiæ meridionialis scriptores. Chronographi vero partium septentrionalium potius Gerardum Groot ut « primum hujus nostræ reformationis Patrem, et totius *modernæ devotionis* originem » considerant; ita J. Busch (3), Thomas a Kempis (4) et alii (5). Hæc vero testimonia prima tantum fronte sibi invicem contradictoria apparent, uti mox ex dicendis patebit. Veram utriusque reformatoris actionem hisce verbis comprehendisse nobis videtur P. Impens : « Quemadmodum in primo priore Viridisvallis Domino Johanne de Ruysbroeck vivæ caritatis et devotionis venam venerantur, ut nostræ reformationis *causam originalem et primariam;* Magistri Gerardi Magni zelum fervidum admirantur, ut ejusdem reformationis *causam ampliativam et directoriam*, et dominum Florentium (Radewynsz) aliosque illius discipulos, in erigendis monasteriis reverenter contemplantur ut *causam effectivam et executoriam*, in tam exuberantissimos et innumeros fructus tantæ multitudinis Deum timentium et Dominum diligentium se coaluisse plurimum congratulantur » (6). — Hæc autem quantum historiæ innitantur, paucis expendamus.

Post fundationem monasterii Viridisvallis elapsis ali-

(1) *Chor. sacr. Brab.*, II, p. 30, ex Mastelino.

(2) *Mémoires...*, ed. in f°, I, p. 55.

(3) *Chron. Windes.*. p. 326. Cfr. p. 316, *Prologus*, p. 2, coll. p. 19, pp. 328 sqq.

(4) *Vita Gerardi Magni*, c. 15, § 12.

(5) Cfr. VORNKEN, *Epistola de prima institutione monasterii in Windesem*, capp. 6 et 10, ed. ACQUOY, *Het klooster te Windesheim en zijn invloed*, III, pp. 238 et 240. — VAN ITERSON, *Stemmen uit den voortijd*, cit. in ACQUOY, *op. cit.*, I, p. 13. — Cfr. ACQUOY, *op. cit.*, II, p. 382, n. 4.

(6) *Chron. Bethl.*, l. I, a. 12, § 4.



quot annis, in Brabantia surrexere tria alia canonicorum regularium monasteria : Rubeævallis (1373), Septemfontium (1380), et Korssendonck (1398); quæ omnia juxta exemplum et ad normam florentissimæ congregationis Viridivallensis constituta sunt; hæc ideo « canonica » uti aliarum « puerpera » habita est, moxque capitulum generale Viridisvallis erectum est (1).

In hoc autem non concluditur reformatrix Joannis Ruysbroeck virtus; dum enim in Brabantia canonicorum regularium ordo diffundebatur, in Hollandia, Daventriæ, prima ponebantur fundamenta congregationis *fratrum communis vitæ;* hujus autem congregationis celeber initiator, Gerardus Groot, suæ reformationis principia ex R. præsertim scriptis et exemplo hausisse videtur. Audita nempe devoti Prioris fama, eum « personaliter visitare » Gerardus decrevit, « ut viventis in carne vocem gratiosam tanquam Spiritus Sancti fistulam audiret verba sua resonantem ». Assumpto igitur socio magistro Johanne Sceele, tunc temporis scholarum Zwollensium rectore, ad Viridemvallem perrexit; laicus quidam, Gerardus Calopifex, illis « dux angusti itineris » fuit. Quum ad monasterium pervenissent, « viderunt in eo non alta et curiosa ædificia, sed simplicitatis et paupertatis insignia, quæ cœlestis regis nostri fuerunt vestigia prima, cum in terrarum orbem rex cœli, ex virgine natus, processit inopia plenus ». Illis locum ingredientibus casu obvians Prior, jam « ætate grandævus », magistrum Gerardum, quem nondum viderat, proprio allocutus est nomine, eosque pie et religiosissime in monasterium introduxit. « Per aliquot dies » in Viridi-

(1) Cfr. *Etude sur les mystiques...*, pp. 263-264.

valle permanserunt, et « de scripturis sanctis ac quibusdam archanis scripturis, quæ Magistri Gerardi intellectui aut incognita, aut incogitabilia erant, studiosum ac congruum habuere colloquium »; difficultates a Gerardo propositas solvit R., et quasi propheta adjiciens ait : *Et vos, magister Gerarde, hanc veritatem, nunc vobis occultam, pauco post tempore intelligetis; sed socius vester Johannes nunquam intelliget in hac vita.* Videns autem Gerardus « in venerabili Priore tantam animæ puritatem, tantæ religionis et devotionis humillimam ac stabilitam in divino amore sanctitatem, tam inconcussam ad omnia divina beneplacita sive in adversis, sive in prosperis, promptissimam voluntatem, tam latissimam internæ cordialis pacis et in Deo suavissimæ requiescentis mentis capacitatem et in divinorum archanorum cognitione degustationem ac per raptum elevationem sursum amati cum amato liquefactionem et amorosam unionem, supra quod credi potest, admirabatur et animo hærebat, rememorans illud Chrisostomi quia *timentem Deum sine scientia videmus nullum*, et Ambrosii quia *in discendo nulla mora est ubi spiritus doctor adest...* Quare, totus venerabundus valefaciens Priori et fratribus ait : *Verus sermo quem in terra mea audivi, et jam probavi quod media pars mirabilium mihi narrata non erat* ».

Hæc, fere ad verba, narrant Pomerius (1), Thomas a Kempis (2) et P. Impens (3); quo autem tempore conti-

(1) *Op. cit.*, l. II, cc. 8 et 9, in *Anal.*, pp. 288-290.

(2) *Vita Gerardi Magni*, c. 10. Cfr. *Chron. Mont. S. Agnetis*, pp. 147, 153, 174. Hoc ultimo loco, remittit ad Pomerium : *quod factum clarius liber vitæ patris memorandi declarat.*

(3) *Chron. Bethl.*, l. I, a. 7, § 3, in cod. cit., f° 30. Cfr. a. 2, §§ 3 et 4, f^os 24-25, ubi contrahuntur narrationes Pomerii et Thomæ Kempensis; a. 12, § 3, f^os 36^v et 37^r.



gerint, aperte non liquet; ante annum 1377 hæc facta fuisse suadet narratio Joannis de Leeuwis, « boni coci (1) », qui hoc anno mortuus est (2); illa Jodocus Badius Ascensius (3) ad tempus refert quo Gerardus in Monnikhuisen, apud Carthusienses, sanctificationi suæ operam impendebat (1377-1379); intimius autem illam visitationem connectere videtur P. Impens (4) cum fundatione *fratrum vitæ communis*.

Quidquid sit, illam visitationem amicæ necessitudinis inter Gerardum et Joannem initium fuisse indubium est; « interpolatis vicibus (5) » postea Gerardus Viridemvallem adiit, ut Prioris exemplo et doctrina reficeretur; ad R. et conventus fratres plures destinavit epistolas (6), in quarum una testatur se nihil aliud desiderare quam « ipsius scabellum tam in præsenti vita quam in futura fieri (7) ». Prioris autem doctrinam maximi habuit; « summis doctoribus ejus scripta censuit comparanda (8) » duos illius libros, « *Ecce sponsus* et librum de gradibus, de Teutonico in latinum » transtulit (9); quædam tandem ex illius dictis, « ne oblivisceretur, in scripta redegit », ad quæ forsan liber *de vita in communi degentium* refe-

(1) Cfr. ipsius extractum quod habetur in WILLEMS, *Belgisch Museum*, IX, 1845, p. 225; quod tamen ei videtur suppositum, quum R. ut defuncti mentionem faciat.

(2) Cfr. POM., *op. cit.*, l. III, c. 21, in *Anal.*, p. 321.

(3) *In vitam beati Thomæ Malleoli*, tit. 8, in *Opp. Thomæ a Campis*, 1523.

(4) *Op. cit.*, l. I, a. 7, § 3.

(5) POM., *op. cit.*, II, 10, in *Anal.*, p. 290. Cfr. JAN VAN LEEUWEN, *loc. cit.*

(6) Quarum duæ a NOLTE, in *Theol. Quartalschrift*. Tub., 1870, pp. 283 sqq., editæ sunt.

(7) THOMAS A KEMPIS, *Vita G. M.*, c. 10. Cfr. NOLTE, *loc. cit.*

(8) TH. A K., *Chron.*, p. 147.

(9) *Ibid.*, p. 150. Additur a FOPPENS, *op. cit.*, I, p. 355, et PAQUOT, *op. cit.*, I, p. 421, translatio libri *de duodecim virtutibus*.

rendus est. Joannis obitus divinitus conscium fuisse Gerardum testatur Thomas a Kempis : illum mortuum esse « compulsatione campanarum multis civibus audientibus manifestavit, ejusque animam, una hora purgatam, ad cœlestem gloriam transisse quibusdam amicis suis secretius indicavit (1) ».

Hasce relationes præ oculis habentes, in fundandis fratribus vitæ communis non parvum fuisse R. momentum putamus. Hanc *vitam communem* a R. tantopere laudatam, Gerardus ad praxim reduxit, itaque, in novo instituto, mirum in modum copulatæ sunt Joannis amantissima indoles et Gerardi fortis et vehemens animus (2).

Hæc autem institutio reformationis inchoatæ primum tantummodo stadium fuit; quum enim initio, ordinibus religiosis propter eorum abusus infensus, Gerardus fratribus vitæ communis nulla vota præscripsisset, animum postea mutans, illis ad normam monasterii Viridisvallis regulam imponere in mente habuit. « Non illi fuit otiosa, ait P. Impens (3), hujus visitationis (ad R.) peregrinatio; nam tanta reverentia et devotione et individua caritate tam venerabili Priori quam suis confratribus conjunctus est, ut quia multorum calumnias in fratres clericos communis vitæ frequentius audierat irrogari, monasterium canonicorum regularium ad instar Viridisvallis erigere excogitabat, cum esset modus vivendi magna discretione temperatus, et qui honesti sacerdotis secularis vivendi qualitate non esset omnino alienus, et qui caritatis jura in proximis observanda amplecteretur ».

(1) Th. a K., *Vita G. M.*, c. 10.

(2) Duorum fundatorum diversam indolem ostendit narratio Pomerii, *op. cit.*, II, 10, in *Anal.*, p. 290.

(3) *Chron. Bethl.*, l. I, a. 7, § 3.



Tradunt auctores maximam Gerardum partem habuisse in fundatione (1382) monasterii Sancti Salvatoris in Emsteyn, primi canonicorum regularium in partibus Hollandiæ conventus, cujus fratres a Godefrido Wevel, presbytero professo Viridisvallis, in religione sunt instituti (1). Quominus desiderium suum ut fratres ordinem S. Augustini amplecterentur, adimplere posset, mors impedimento fuit, at illud « discipulis suis in Christo fundatis exequendum commisit : quod postea ab eisdem efficaciter adimpletum fuit (2) ». Moriturus enim suos advocavit, « et dominum Florentium ceterosque dejectos fratres in Domino consolatus est et ait : Vos omnes et singulos exoro, et vice Dei vobis committo, ut meum post obitum Monasterium erigatis ex probatioribus et dignioribus fratribus ad ordinem receptis, qui promptissima voluntate omnes utriusque sexus devotas personas monasteriorum seu congregationum communem et apostolicam vitam ducentium, nec non bonæ voluntatis fideles status secularis in omni caritate suscipiant, humano pertractent, necessitatibus illorum subveniant, ac eos ipsos aut temporalia seu spiritualia bona eorum tanquam sua propria et se ipsos fideliter protegant, et pro ut facultas aut legalis opportunitas admittit, prudenter admoneant. Non profitebuntur hi fratres monasterium novum iniciaturi, Carthusiensem ordinem, qui, etsi sancte religioseque vivant, abstractiores tamen ab hominibus, accessum liberum devotis viris ad se omnino non admitterent ; sed neque Cistersiensem ordinem suscipient, cum sit ordo gravis et nostris temporibus et

(1) P. Impens, *loc. cit.*, § 5. — Cfr. Busch, *Chron. Windes.*, *passim.*

(2) Thomas a Kempis, *Chron. Mont. S. Agn.*, p. 152.

infirmitati cunctorum non etiam ita adimplebilis. Ordinem canonicorum regularium institutionis amantissimorum et reverendissimorum patrum meorum monasterii Viridisvallis assumetis, humaniori regulæ inservientem, et omnibus pene in religione Deo militare cupientibus accommode congruentem, et qui a vestro suscepto genere vivendi devoto non multum videtur discrepare. Dominum Florentium Radewini, in artibus magistrum, in ecclesia Davantriensi vicarium, virum illuminatum et devotum, loco mei vobis præficio ut patrem honorandum cujus consiliis et doctrinis ab omnibus vobis erit obtemperandum ». His mandatis nihil addens, feliciter migravit ad Dominum anno 1384 (1).

Post mortem ejus exacto biennio, Florentius Radewynsz in Windesheim monasterium erigere cœpit; anni 1387 die 7ª octobris, de consensu Florentii van Wevelinckhoven, Trajectensis episcopi, ibidem regulam S. Augustini professi sunt Radewynsz et sex alii devoti patres : Henricus de Huxaria, Wernerus Keymkamp, Johannes Kempis, Henricus Wilden, Henricus Wilsen et Bertholdus ten Have. In monasterio Emsteyn illi aliquanto tempore commorati erant, ut canonicorum regularium ceremonias et devota instituta, prout illa fratres hujus monasterii ex Viridivalle susceperant, ipsi « oculis viderent, et in fervore spiritus fideliter discerent ». Anno 1388, in octobri, adhibitis solemnitatibus juri consonis, Wernerus Keymkamp in primum Priorem Windeshemensem electus est; brevique nova ordinis statuta compilata sunt. A. 1392, Florentius Radewynsz monasterium fontis beatæ Mariæ, prope Arnhem, primam

(1) Impens, *loc. cit.*, § 6. — Cfr. Busch, *op. cit.*, pp. 22 et 23.



filiam conventus Windeshemensis, fundavit, nec multo post, monasterium Beatæ Mariæ novæ lucis prope Horn (1). A. 1395, a S. P. Bonifacio IX concessa est licentia capituli generalis Windeshemensis constituendi, quod sibi aliarum etiam diœcesium monasteria aggregare valeret. Illi a. 1412 Viridisvallis capitulum, cum subjectis sibi domibus, conjunctum est (2); mox, in diversis provinciis ordo mirabiliter succrevit, et in nostris præsertim partibus ubique florentissimi surrexere regularium canonicorum conventus (3).

Ita, fautoribus præcipuis Joanne van Ruysbroeck et Gerardo Groot, « rem regulæ sine tradita regula » jamjam servantibus, effecta est « nova canonicorum regularium reformatio in his terris ». Ita in unum coaluere patrum Viridisvallis et fratrum Daventriensium « gemellæ » institutiones. Non tamen omnes fratres regularem observantiam sunt amplexi « Deo sane ita disponente », ut suo quisque modo suam et aliorum salutem procuraret; nec parum utilitatis fratres canonicis contulerunt, quum eorum præcipue studium fuerit in scholis « bonæ spei adolescentes erudire litteris, instituere moribus bonis, habiles atque idoneos facere sanctæ religioni », sicque ad vota monastica suscipienda eos apte disponere (4).

Quantum in his congregationibus floruerint virtutes, fusius exponere non vacat; dixisse satis erit, earum vitam religiosam practicæ principiorum a R. expositorum

(1) Impens, *op. cit.*, l. I, aa. 8-10.— Cfr. Busch., *Chron. Wind.*, pp. 157 sqq., et *passim*.

(2) Thomas a Kempis, *Chron.*, p. 40.

(3) Quorum seriem invenire est apud Acquoy, *Het klooster te Windesheim...*, III.

(4) Impens, *op. cit.*, l. I, a. 12, § 3, in cod. cit., f° 37r.

applicationi totam inniti. Quæ R. de vita præsertim *interna* seu *devota*, et de vita *communi* disseruerat, in his miro modo executioni mandata sunt; hinc, frequenter harum membra *devotorum* nomine designantur, et sic dictæ « modernæ *devotionis* », cum Gerardo, R. caput agnosci debet. Minus recte, ut opinamur, cum *amicis Dei* Germanis comparantur Neerlandici *devoti;* horum enim mysticismus, ad praxim magis intentus, non tam metaphysicis speculationibus quam amantissimis contemplationibus et virtutum practicis exercitiis occupatur. Quæ caracteristica in R. operibus conspeximus, sc. exempli Christi propositio, primitivæ Ecclesiæ descriptio, maximam erga S. Eucharistiam devotionem spirantia verba, in scriptis canonicorum regularium vel fratrum vitæ communis continuo occurrunt, et R. in hos influxum patenter adstruunt. Hos inter scriptores, præter Gerardum Groot, operum R. translatorem et admiratorem, citari possunt : Florentius Radewynsz, cujus *admonitiones* (1) consilia practica a R. « fratribus et sororibus in Christo » proposita renovant; Henricus Mande, qui in scriptis suis, præsertim vero in *een boecskijn van drien staten eens bekierden mensche* (2), mysticum R. systema, vernacula et ipse lingua usus, nove exponit; Gerlacus Petersz, cujus *Breviloquium* (3) et *Soliloquium* (4) consilia R. practica iterum rememorant; tandem Thomas a Kempis, cujus laudativa erga R. testimonia citavimus;

(1) Ed. Malou, *Recherches historiques et critiques sur le véritable auteur de l'Imitation*. Louvain, 1848, p. 222.

(2) Ed. Moll, *Johannes Brugman*, I, pp. 263 sqq.

(3) Ed. Moll, *Gerlach Peters en zijne schriften*, in Kist en Moll, *Kerkh. arch.*, II, 1859.

(4) Cujus plurimæ sunt editiones.



qui testante Auberto Miræo (1), librum *de spiritualibus nuptiis* latine transtulit; qui reformationis remedia a R. proposita in omnibus suis scriptis enumerat.

Speciatim autem inter R. opera et *quatuor libros Imitationis Christi* analogiæ innumeræ sunt. Spitzen (2) locutiones Rusbrochianas in libris Thomæ et speciatim, in *Imitatione* occurrentes annotavit; errat autem ipse, quum discrimen inter R. et auctorem *Imitationis* in eo ponit, quod R. Sacræ Scripturæ minus assuetus, non, ut auctor *Imitationis*, scripturisticas locutiones adhibere solitus sit. Econtra, in hoc præcise maximam amborum auctorum conformitatem esse censemus : R. Sacræ Scripturæ ejusque variarum interpretationum peritissimum esse probat liber *Tabernaculi spiritualis* (3); illum autem, sicut auctorem *Imitationis*, scripturisticas locutiones suas facere plurima loca testantur (4). Quod attinet ad alias analogias, *Imitationi* præsertim comparari possunt loca in quibus consilia practica R. evolvit, uti liber *de septem seris, Speculum salutis æternæ* in duobus primis capitulis, *de duodecim beghinis*, cap. 50, pleræque tandem epistolæ; tum etiam *Speculi* aliorumque librorum loca ubi de S. Eucharistia sermo est. Speciminis gratia, conferri possunt *Imit.*, l. 2, c. 4, § 1, et prima R. epistola, in Surio, p. 533, « de duabus alis quibus homo sublevatur a terrenis, simplicitate sc. et puritate »; *Imit.*, l. 3, c. 21, et R., VI, 48 et 58 :

(1) *Epist. ad Her. Rosweyde*, in cod. 8961-8962 bibl. reg. Bruxellensis.

(2) *Thomas a Kempis als schrijver der Navolging van Christus gehandhaafd.* Utrecht, 1880, pp. 73 et 134.

(3) Cfr. I, 106, ubi suam propriam explicationem R. dat, quæ textu Moysis confirmatur. Cfr. Surius, p. 87; I, 196 et 198 etc.

(4) Cfr. I, 146-156, *passim;* II, 117-17; IV, 71-1, 254-20, 255-15; VI, 207-234, *passim*, etc.

« Quod in Deo supra omnia bona et dona quiescendum est ». Pia ad Christum in Eucharistia oratio quæ invenitur apud R., III, 187-188, similis est quarto *Imitationis* libro, illosque Sacræ Scripturæ textus profert quibus hic innititur; ambo auctores eodem exemplo S. Joannis Baptistæ, sacerdotum dignitatem efferunt (II, 140-141, coll. *Imit.*, l. 4, c. 5, § 1), eisdem exemplis B. Mariæ, Zachæi, etc., præparationem ad S. Communionem recipiendam evolvunt (III, 145-149 coll. *Imit.*, l. 4, c. 2, § 6 et c. 17, § 2; III, 185, coll. *Imit.*, l. 4, c. 3, § 1); eodem modo objectioni fidelium de modo præsentiæ sacramentali respondent (III, 174, coll. *Imit.*, l. 4, c. 11, § 2). Descriptio pœnarum inferni, prout in *Imit.*, l. 1, c. 24, § 2 exponitur, ad mentem revocat ejusdem materiæ tractationem in R., III, 256-258, etc. Tandem, et de ipsa amorosa in Deum absorptione non raro loquitur *Imitatio*, eisdem ferme terminis usa ac R., ut, e. g. : l. 1, c. 11, § 2 : « totis medullis cordis Deo *inhærere* »; l. 3, c. 21, § 3 : « præ amore tuo, non sentiam me, sed te solum, *supra omnem sensum et modum* »; c. 23, § 9 : « ad cœlestia totum desiderium meum *suspende* »; c. 48, § 4 : « opto *inhærere* cœlestibus »; l. 4, c. 4, § 2 : « ut totus in te *liquefiam*, et amore *pereffluam* »; c. 11, § 2 : « de claritate in claritatem *abyssalis* Deitatis *transformati* »; c. 12, § 4 : « ut jam ultra non in te, sed *in me vivas* »; c. 13, § 1 : « quando ero tecum *totus unitus*, et *absorptus* »; c. 16, § 3 : « utinam me totaliter ex tua præsentia *accendas*, *comburas*, et *in te transmutes*, ut *unus* tecum efficiar *spiritus*, per gratiam internæ unionis, et *liquefactionem ardentis amoris* ». — Ad stylum tandem quod attinet, præter incorrectas loquendi formulas et sic dictos *flandricismos*, in omnibus etiam *devotorum* scriptis animadvertitur *consonantiarum* delectus, qui in R. operibus singulis fere paginis etiam occurrit.



Extra cœtum *devotorum* plures etiam Mystici Rusbrochii doctrinam in suis libris secuti sunt et evolverunt. Inter hos, præcipui numerandi sunt : Henricus Harphius, qui ex R. operibus, quin nomen ejus indicaret, totum suum systema mysticum mutuatus est : « si ex libris ejus, ait Gerardus ab Hamont (1), quos de vita contemplativa scripsit, qui sunt secundus et tertius *Theologiæ Mysticæ*, ea quæ hujus authoris (R.) diversis monumentis etiam ad verbum descripsit ac mutuatus est, eradas aut auferas, pene nudum ac vacuum eum relinques »; secundus hujus *Theologiæ Mysticæ* liber, initio vernacula lingua compositus et inscriptus *spiegel der volcomenheyt*, non est nisi libri *spiritualium nuptiarum* reproductio. Dionysius Carthusianus in suo *tractatu de donis Spiritus sancti*, ejusdem argumenti tractationem, prout a R. in *Tabernaculo spirituali* proposita est, reassumpsit et explicavit; doctrinam autem de contemplatione in suis tribus *de comtemplatione* libris a R. præsertim mutuatus est, quem ut « doctorem divinum » venerabatur et contra Gersonis accusationem ibidem defendit. Thomas a Jesu in suis *de divina oratione* libris quatuor. Antv., 1623, tum R. methodum sequitur tum etiam ipsius testimonia frequenter recitat.

(1) *Epist. nuncup.*, in opp. R.

## ARTICULUS IV.

### QUO SENSU JOANNES VAN RUYSBBOECK REFORMATOR DICI NON POSSIT.

Expositis tum R. doctrina, prout ex illius libris deducitur, tum ipsius virtute reformatrici, prout illam testatur historia, superfluum, imo et haud periculi carens videri posset de his agere, quæ subjectivo nimis innituntur fundamento, ac proinde præjudicatis opinionibus ansam facile præbent. Quum tamen, uti Germaniæ sæculi XIV Mystici et ipse *Imitationis* auctor, ita et R. prætensæ « Reformationis præcursor » frequenter exhibeatur, abs re non erit hanc quæstionem paucis verbis expendere. Simul etiam, in unum conjicientes aliqua huic quæstioni connexa, utrum et qua ratione novæ propensionis mysticæ promotor R. dici possit, aperiemus :

I. Utrum Pseudo-reformationis præcursor R. dici possit. — Duplici potissimum ex capite, spectato nempe R. momento in morum reformationem, et spectatis ipsius doctrinis, hoc « præcursoris » munus gessisse R. prætenditur; neutrum autem admittendum putamus, nostra facientes P. Denifle verba : ***Nur Unkenntnisz konnte zur Bildung solcher Ansicht führen*** (1).

A) Quoad *morum reformationem*, indubium est magnum fuisse R. momentum; ast, si omnes qui ante sæculum XVI de morum reformatione locuti sunt, Reformationis præcursores essent agnoscendi, plurimi sane, inter quos et Summi Pontifices non pauci, inter Lutheri prænuntios essent agnoscendi. — Duplicem nempe viam, inde jam a sæculo XII, ingressi sunt qui reformandæ Ecclesiæ

(1) *Das geistliche Leben... Einl.*, p. VI.



studium præ se ferebant : alii quidem, pro potestate sibi tradita, in Ecclesiam agere et ecclesiasticam disciplinam restaurare, salvo semper ipso instituto, aggressi sunt; alii vero surrexere viri sectarii qui, dum Ecclesiæ reformandæ zelum ostentarent, ipsam hierarchiam impugnarunt, brevique auctoritatem omnem agnoscere recusarunt. Hos Pseudo-reformationis prænuntios merito dixeris; in priori autem serie R. numerandum esse patet. R. reformationem laudat, sed eam quæ juxta Ecclesiæ leges, non extra ejus indolem fiat; non in ipsa instituta nec in auctoritatem invehitur, sed econtra, Ecclesiæ obedientissimus filius, prælatos maxima prosequitur reverentia; in abusus autem, in personas suo indignas officio vehementer insurgit. Maxima quidem in illis denuntiandis et in his increpandis utitur libertate, eo tamen semper fine, ut illos tollat, has vero ad meliorem frugem reducat. Ipsum Summum Pontificem aliquando pungere videtur (1), vel saltem, abusus in pontificali curia inductos vivide describit; hæc autem ideo agit, ut radicem malorum ostendat, et Ecclesiæ miserum statum, a summo ad imum, describat; has tandem querelas, ad quas cæterum judicandas ratio habenda est, tum ferventis R. indignationis, tum etiam convitiorum ab eo contra hæreticos prolatorum (2), sequuntur amantissimæ ad vitæ

(1) Non tam II, 3, et IV, 65, ad quæ loca provocat Arnoldus, *Theol. Myst.*, p. 312, quam II, 174, 184, et locis similibus.

(2) Mirum est R., si Reformationis præcursor dici debeat, *libertatis conscientiæ* minime propugnatorem fuisse : quod probant, tum ipsius testimonia de unica et integra fide servanda, tum ipsius cum hæreticis controversiæ, in quibus illos ignis pœna dignos frequenter denuntiat. Idem de Gerardo Groot valet, qui, licet Reformationis præcursor agnoscatur, zelo tamen vere inquisitoriali hæreticos persequebatur, ut probant, tum diversæ auctorum narrationes, tum epistolæ ab illo conscriptæ, tum ipsum cognomen ei inditum « Malleus hæreticorum. »

modum mutandum et ad Christi vestigia sequenda exhortationes.

B) Quod ad *doctrinam* attinet, ex declaratione superius tradita, patet R. protestantium dogmata nullatenus docere; speciatim autem ipsius cum Ecclesia catholica orthodoxiæ præcipua signa, teste van Otterloo (1), sunt ipsius doctrina eucharistica, et devoti erga B. M. V. cultus exhibitio (2).

Cæterum, ex ipsius thesibus Lutheri systema nullo modo deduci posse putamus. — Ea, in quibus doctrinæ protestanticæ semina quidam inveniunt, ad hæc præcipua reducuntur :

1° Quod R. hominem inter et Deum immediatam relationem ubique doceat, quin Ecclesiæ mediationem admittat (3).

2° Quod opera sine fide nihili habeat; quod Dei gratiam et peccatorum remissionem cum vera pœnitentia immediate nexam proponat; quod operi bonam intentionem æquiparet; quod separationem a mundo ut inutilem ducat; quod uno verbo, religionem magis spiritualem efficiat, ad interna hominis animum magis applicet (4).

(1) *Op. cit.*, p. 339, not.

(2) Uti notum est, frequenter jactant protestantes in quarto tantum *Imitationis* libro, duobus locis supra citatis, B. M. V. mentionem fieri.

(3) Van Otterloo, *op. cit.*, p. 342.

(4) *Ibid.*. — Arnoldus, *Theol. Myst*, p. 312, dicit R. « minus ac omnes fere alios antiquorum Mysticorum theologorum timorem servilem et inde orientem propriam activitatem ac legales anxiasque exercitationes intendere, et e contrario ad liberam Evangelii virtutem et efficaciam Novi Fœderis tantummodo ducere eo modo quo hæc se per unctionem filialis spiritus unicuique vere credenti se revelat. » — Ullmann, *op. cit.*, p. 56, quocum Möbius, *Beiträge...*, p. 2, eodem modo dicunt R. animum fuisse *den Glaublen zu vergeistigen, den Menschen von der Auszerlichkheit der Gottesverehrung abzuziehen und seine Seele auf die innere Welt zu richten.*



3° Quod bonam vitam ex spe præmii æterni, vel ex timore pœnarum inferni institutam plane deprimat, hominesque hoc motivo ductos *mercenarios* vocet (1).

Hæc autem, et similia, doctrinæ protestanticæ semina continere minime videntur. Etenim,

1° Sæpe loquitur R. *de unione immediata hominis cum Deo;* medium autem, quod his verbis excludit, non est Ecclesia. Præter fidem, cujus depositum Ecclesiæ competere frequenter testatur, agnoscit ipse intimiorem quamdam cum Deo relationem, experientiam sc. contemplativam, beneficium quoddam indebitum et extraordinarium, quod ex mera largitate Deus electis suis confert. Hanc unionem immediatam, sc. *in fruitione*, docet esse summum vitæ mysticæ gradum, non vero singulis eam attingendam proponit nec illam esse fidem ad salutem necessariam indicat. Ulterius, R. diserte docet contemplantes, hac unione fruentes, Ecclesiæ in omnibus subjici debere, summam etiam contemplationem « in concordia
cum S. Ecclesia » habendam esse, illosque vehementer V, 35.
reprobat « qui unum cum Deo fieri volunt, quin Ecclesiæ
obediant ». VI, 268.

2° R. docet, et merito quidem, opera sine fide ad salutem non sufficere; at in iis quæ justificationem præcedunt, duplicis principii, sc. gratiæ divinæ et bonæ
voluntatis humanæ concordiam describere solet. In sa- Cfr. supra, p. 56.
lutis autem negotio, sicut opera sine fide non sufficiunt,
ita nec sufficit fides sine operibus, utpote quæ « mortua I, 233. Cfr. IV, 32.
sit coram Deo ». Opera bona ubique R. laudat : « con- Cfr. supra, p. 83.
templatio etiam supernaturalis, sine caritatis operibus,
ad nihilum reducitur »; hinc, summa perfectio in unione IV, 54.

(1) Van Otterloo, *loc. cit.*

actionis cum contemplatione consistit. — Quæ operibus externis minus faventia in ipsius scriptis occurrunt, tripliciter intelligi possunt : *a)* de actibus qui propria
Cfr. supra, p. 146. voluntate ponuntur; *b)* de illis qui recollectionem impediunt, nam « opus externum laudatur in scripturis, sed
III, 128. cordis sollicitudo vituperatur »; *c)* præcipue de actibus externis fictis, quibus nullus actus internus respondet. In omnibus suis libris, in Pharisæos et hypocritas invehitur R.; eos debellans, vitam internam commendat et rectam doctrinam tradit : actus externos nonnisi ex internis valorem suum habere. — Tandem circa sacramenta, orthodoxam, uti vidimus, doctrinam tenet; remissionem peccatoris cum vera pœnitentia nexam exhibet, sed veram pœnitentiam intelligit eam quæ fiat « secun-
IV, 32. dum christianam legem et S. Ecclesiæ ordinationem ». In omnibus fere libris, necessitatem proclamat peccata clavibus Ecclesiæ submittendi, ubique laudat pœnitentis confessario « ut qui Dei vicem gerat, *in die stat Gods* » submissionem; confessionis necessitatem ibi tantummodo tacet, ubi, ut e. g. *Spiritualium nuptiarum* initio, dispositiones ad justificationem necessarias generali modo exponit.

3° R. timorem pœnarum inferni non ut malum repro-
Ps. CX, 10. bat, quum « initium sapientiæ sit timor Domini », sed minus perfectum esse dicit; imo, desiderium præmii cœlestis, licet majoris quam prius motivum, non tamen tanti facit; quum enim vitæ etiam activæ culmen in eo constet, ut homo Deum supra omnia intendat, imo in Deo supra omnia Ipsius dona quiescat, ab hac perfectione multum distant qui non Dei honorem, sed seipsos in omnibus quærunt. Hos *mercenarios* vocat,



sicut et S. Bonaventura *mercenariam* esse caritatem (1) dicit; duplex nempe caritatis motivum, ut scite animadvertit Bossuet (2), R. distinguit : primarium, quod Deus in se sit optimus et infinite perfectus; secundarium, quod erga nos sit summe benevolus ac beneficus; posterius hoc caritatis genus minus perfectum, imo, sensu a nobis explicato, naturale vocat. — Hæc autem Cfr. supra, p. 92.
omnia catholicæ traditionis expressio esse videntur.

II. UTRUM ET QUA RATIONE NOVÆ PROPENSIONIS MYSTICÆ R. PROMOTOR DICI POSSIT?

A) Si novus mysticismus dicatur is, qui traditioni catholicæ contrarius est, absque dubio novi mysticismi fautor R. non est agnoscendus (3). Ut enim explosam pantheismi accusationem omittamus,

1° Quietismi reus R. traduci nequit. Ipsius quidem loquendi modus hyperbolicus Quietistis sæculi XVII ansam forsitan præbuit (4), at quæ superius disseruimus, illum hoc errore insontem esse probant. Quod specialim attinet ad horrendam illam Quietistarum indifferentiam in negotio salutis, a R. quidem talia proferuntur : « tam libenter in inferno quam in cœlo esse vellem, si hoc
potest esse ad Dei laudem », « quod, addit ipse, est VI, 91.
impossibile »; verum, hæc iterum, sicut et EXOD., XXXII, VI, 150.
32, et ROM., IX, 3, fuerint « dicta per hyperbolen ex

(1) Cfr. BOSSUET, *Schola in tuto*, in *Œuvres*. Versailles, XXIX, 1819, pp. 248 sqq., qui S. Bonaventuræ opinionem discutit.

(2) *Schola in tuto*, *ibid.*, p. 256 : qui provocat ad cap. 14 *de septem gradibus amoris*, in 7° gradu (IV, 55).— Cfr. *ibid*, p. 279; p. 365; *quietismus redivivus*, *ibid.*, p. 456.

(3) Cfr. SPITZEN, *Th. a K...*, pp. 71, 72.

(4) Cfr. BOSSUET, *Instruction...*, p. 60, qui tamen illos ex R. doctrina confutat.

vehementia affectus » (1). Hypothesis est impossibilis, apta tamen ut gradum conformitatis cum Deo maximum declaret; cæterum, potius ad pœnam subeundam, quam ad aversionem a Deo R. alludit.

2° Ex iis quæ in priori parte disseruimus, patet R. doctrinam catholicam amplecti de peccato originali et de munere Redemptoris. Christum quidem frequenter uti virtutum exemplar proponit, at præsupposito semper, non negato, ipsius veri Redemptoris munere. Quum in ordine supernaturali semper versetur, illumque supponat, nullibi de gratiæ natura *ex professo* agit; quando autem de illa loquitur, eam semper in relatione ponit cum dogmatibus peccati et redemptionis (2).

3° *Planetarius mysticismus*, qui R. exprobratur (3), non *fatalismum* inducit, sed hominis libertatem apprime servat. Mori tribuendus est, tum ævo, tum Mysticis communem. Juxta notiones suo tempore admissas, ab Alberto Magno et aliis Scholasticis inductas, diversarum planetarum in hominum complexiones influxum R. exponit. Præterea, « plurimi attributi effectus planetis et stellis non sunt reales, sed potius effectus earumdem opinatus »(4) : in mundo nempe materiali, cujus pulchritudinem admiratur *(Macrocosmos)*, quærit R. analogias ad mysticam suam theoriam exponendam.

B) Demonstrari nequit *antagonismus* R. inter et præcedentes Mysticos et Scholasticos.

(1) Bossuet, *Schola in tuto*, p. 314. — Cfr., de illis hypothesibus, *Instruction*..., pp. 346 sqq.; *Mystici in tuto*, pp. 183 sqq., etc.

(2) Contra plures, inter quos Schmidt, *Mémoires*..., p. 465; Altmeyer, *Les précurseurs de la Réforme*, I, p. 117, etc.

(3) Cfr. inter alios, Bossuet, *Instruction*..., p. 56.

(4) *Epistola Ger. Magn.*, ed. Nolte, in *Theol. Quartalsch.*, 1870, p. 284.



1° Quæ in R. operibus occurrunt contra superbiam eorum qui intellectu naturali omnia perscrutari volunt, non Scholasticos pungere videntur, sed viros sectarios sine gratia ad altissimam contemplationem tendere volentes; ubique, adversariorum suorum pseudo-mysticorum subtilitatem commemorat. Heic non inveniuntur verba, quibusdam Germaniæ Mysticis consueta, prolata adversus « magnos illos Parisienses doctores », qui libros quidem doctrina refertos legunt, emendationi vero morum minime student.

2° Philosophorum paganorum, uti Platonis, Aristotelis, Senecæ, etc., effata R. nunquam citat, quod tamen ipsius coævis est consuetum. Similiter, paucissima apud eum inveniuntur antiquorum scriptorum ecclesiasticorum testimonia : si enim dubium *de duodecim virtutibus* librum excipias, S. Augustini tantum (II, 12), S. Gregorii (II, 15), S. Bernardi (V, 62; VI, 232), Petri Comestoris (II, 16, 100, 134, 148) verba, nec ad litteram citata, reperies. Non dubium tamen quin illorum et Pseudo-Dionysii, S. Bernardi, Hugonis et Richardi de S. Victore doctrinis assuetus fuerit. Eorum doctrinas, quarum aliquas in decursu tractationis ostendimus, R. nove exprimit et suas facit, quod et de textibus Sacræ Scripturæ valet. — Liber *de Tabernaculo spirituali,* in quo quatuor ab auctore citata, plura vero non indicata inveniuntur Petri Comestoris testimonia, auctorem prodit biblicarum interpretationum minime inscium; ex hoc tamen opere ægre argumentari licet, quum glossæ multæ additæ fuisse videantur; in hoc etiam opere, mysticæ interpretationi, secundum omnes ab Hugone de S. Victore modos indicatos, R. favet — Scholasticorum terminologiam fere integram in suis scriptis usur-

pat, et flandrice, recte sæpius, transfert. Illorum disputationibus se non extraneum esse, incisis suis aliquando testatur; sic, quoad productionem animæ, prudenter dicit : *Hoe God die siele scept eñ maect, dat bevelen wi*
V, 53. *sinen wetene eñ sijnre waerheit;* quoad materiam ignis infernalis : *Mer weder dat vier si gheestelic of mateerlic,*
III, 254. *of beide, daer ict bet voir houde, dat beveelwi Gode*, etc.

C) Quonam sensu *novi mysticismi* fautor fuerit R.?

1° Licet non modica ex Sacræ Scripturæ et antiquorum Mysticorum doctrina hauserit R., ipsius tamen mysticismi fons præcipuus est *propria experientia*. Animarum directioni magnam vitæ suæ partem deditus, in sancta cum illis conversatione vitæ mysticæ arcana partim edoctus erat; illum morum observantissimum esse probant tum practica admodum consilia ab eo fidelibus data, tum etiam peccatorum descriptiones in ipsius libris
e. g. II. 10 et *passim.* occurrentes. Præcipue vero, vitam mysticam ipsemet expertus erat, et in suis libris, status in quibus ipse versatus est, describit.

Hinc methodus ipsius empirica potius est quam scientifica; R. sane ordini studet, et merito vocatus est *ein ganz architektonischer Geist, der Thomas (von Aquin) unter den germanischen Mystikern* (1); at, dum antiqui Mystici, præcipue vero schola S. Victoris, magis scholastice, juxta divisiones in psychologia fundatas systema suum exponunt, R. econtra notiones psychologicas mysticis quæstionibus miscet, nec ad divisiones psychologicas stricte præstitutas, doctrinam suam contrahit.

Huic indoli connectitur quod, præ cæteris, etiam Germanis Mysticis, R. maxime *contemplativus* est; nul-

(1) Böhringer, *op. cit.*, p. 608.



lum est, vel minimum, ipsius opus, in quo divinæ unionis beneficia non exponat; semper in suis contemplationibus « absorptus » et « perditus », eas verbo exprimere vix sibi sufficit. Hinc etiam in nullo forsan magis quam in illo, digressiones et repetitiones occurrunt.

2° Ipsum systema mysticum ab antiquorum systemate paulisper differt. *Vitam activam* intelligit R., sicut et alii, de exercitio virtutum quæ bonum proximi respiciunt. *Vitam Dei-contemplativam* intelligit de sola contemplatione extraordinaria, quæ ex privilegio supra leges ordinariæ providentiæ divinæ in ordine supernaturali, homini infunditur; diversas hujus contemplationis species omnes Mystici expandunt, pauci tamen illam usque ad transitoriam Dei visionem intuitivam extendunt, ut R. docere videtur; pauci etiam in metaphysicas de ideis divinis speculationes ita incumbunt, quod R. cum Germanis Mysticis commune est. Ultra duplicem illam vitam, R. *vitam internam* addit, quæ *vitæ contemplativæ* aliorum Mysticorum aliquo modo respondet, utpote quæ in iis exerceatur virtutibus quæ Deum respiciunt. Illam vitam ut totius perfectionis christianæ centrum R. exhibet; nam vita externa ab interna, vita autem interna a Deo totum suum valorem habet; in ea, voluntatis submissionem et unionem actionis cum contemplatione *(vita communis)*, præcipue commendat, sicque regnantibus malis remedia, dissipationi recollectionem, cupidini mortificationem, acediæ activitatem opponit ; harum virtutum typum Christum ostendit.

Hinc patet practica ipsius mysticismi indoles; ideo etiam vernacula ipse lingua usus, « gratiam cœlestis suavitatis, quam divinitus accepit, in posteros copiosa largitate diffudit ».

# THESES.

## I.

Henrici Pomerii opusculum *de origine monasterii Viridisvallis et de gestis patrum et fratrum in primordiali fervore ibidem degentium* existimamus antiquissimum et purissimum esse fontem unde vera notitia rerum a Rusbrochio gestarum haurienda sit. In hujus secundam partem integra transierit *vita* quam Joannem Scoenhovium scripsisse tradunt auctores. Ex illa tandem fluxerunt tum *vita*, Surii editionibus præfixa, tum omnes narrationes de gestis R., decursu temporum editæ.

## II.

R. « omnes suos codices materno idiomate scriptitasse (1) » certum est; hujus autem rei causam non tam in latinæ linguæ ignorantia quam in temporum et rerum adjunctis ponendam esse putamus. Cæterum, quæ universim de R. inscitia in opusculo Pomerii et in subsequentibus narrationibus occurrunt, non sunt *ad litteram* sumenda.

## III.

Contra authentiam libri de duodecim virtutibus haud spernenda, licet non apodictica, proferri possunt argumenta tum extrinseca, tum intrinseca; quum tamen doctrina in eo tradita R. doctrinæ sit admodum affinis, suspicamur illum saltem a R. discipulo, ipso forsan adhuc in vivis agente, compilatum fuisse. Epistolas autem illi adscriptas genuinas esse censemus. Tandem, ordinem librorum, prout a Pomerio traditur, chronologicum esse, nobis est valde probabile.

(1) Pomerius, *De Origine*, l. I, c. 10.

IV.

Putamus R. ex parte fautorem fuisse mysticismi potius speculativi Henrici Mande, Henrici Harphii et Dionysii Carthusiani, tum etiam fundamenta jecisse mysticismi magis practici, qui in omnium *devotorum* scriptis invenitur.

V.

Immerito R. inter « Reformationis Præcursores » recensetur.

VI.

Licet locutiones, quibus metaphorice R. unionem animæ cum Deo extollit, pantheismum sapere videantur, ipsius tamen mentem orthodoxam fuisse censemus.

VII.

Revelatio supernaturalis in Sacris Scripturis, præcipue SAP., XIII, 1-9, et ROM., I, 18 sqq., consignata, perspicue docet existentiam Dei, sive Entis supremi a quo totus mundus dependet, naturali rationis lumine posse cognosci, ope demonstrationis ex rebus creatis desumptæ.

VIII.

Rationalis cognitio legis naturæ, ab Apostolo ROM., II, 14-16, Gentibus asserta, includit ac demonstrat rationalem cognitionem Dei supremi legislatoris.

IX.

Hæc S. Scripturæ testimonia nullatenus supponunt revelationem positivam tamquam conditionem sine qua



non possit humana ratio ad Dei cognitionem pervenire, nec meram adstruunt recognitionem veritatis fide creditæ, ut recentiores quidam interpretantur.

X.

Quamvis divina essentia, ut in se est, in via nobis inaccessa maneat, ex præintellectis tamen creaturarum perfectionibus quadamtenus cognoscitur; quæ cognitio per viam causalitatis, excellentiæ, et remotionis, fit aliquo modo Dei distinctiva, et ex multiplicibus ac distinctis notionibus constans, imperfecta quidem non vero falsa consenda est.

XI.

Verbum Dei revelatum in Sacris Scripturis et in prædicatione disertaque declaratione Ecclesiæ catholicæ propositum, manifeste docet intuitivam visionem Dei, ut in se est, in præsenti ordine constituere supremam beatitudinem creaturarum rationalium.

XII.

Cum intuitiva Dei visio præ quovis intellectu creato sit supernaturalis, necessarium est supernaturale adjutorium quo mens creata elevetur ad visionem beatificam. Illud autem adjutorium, quod *lumen gloriæ* vocatur, definiri potest : donum Dei permanens, quo informatus intellectus supernaturaliter assimilatur intellectui divino ad immediatam beatificam visionem Dei.

XIII.

Errant sine dubio, qui docent ideam mentis, sub qua intelligimus quidquid intellectualiter concipimus, esse

ideam Dei, atque adeo ens, quod illius ideæ est objectum, esse Deum licet solnm directe et nondum reflexe cognitum.

XIV.

Ex Sacrarum Scripturarum doctrina demonstratur Deum voluntate antecedente et seria, in hoc ordine generis humani lapsi et reparati, non eorum modo qui salvantur, sed aliorum etiam velle salutem, imo voluntatem hanc salutiferam ad omnes homines protendi.

XV.

Ex simul collatis variis testimoniis Scripturarum (MATTH., XXVIII, 19; JOANN., I, 1 sqq.; X, 30; XVI, 13-15; etc.) docemur mysterium sanctissimæ Trinitatis, trium scilicet personarum realiter distinctarum unitatem secundum divinam essentiam.

XVI.

Solus Deus est hujus universi causa efficiens, et ita quidem ut non modo alia quævis causa princeps, sed instrumentalis quoque excludatur.

XVII.

Licet mundus ex nihilo creatus sit, ab æterno tamen præexistit in essentia, in intelligentia, et in voluntate Dei : « omnia possibilia, ait Lessius (1), continentur in *essentia* divina, tamquam in *originali radice* et quasi in *exemplari virtuali et radicali;* in *sapientia*, tamquam in *exemplari formali*, in quo etiam existunt objective modo

(1) *De perfect. divin.*, l. 5, c. 2, § 2.



perfectissimo et illustrissimo...; in *potentia*, tamquam in *causa effectrice* ».

XVIII.

Deum mundum creasse non ex necessitate, sed ex libero suæ voluntatis decreto, tum revelatione, tum ratione demonstratur.

XIX.

Non minus diserte ratio et revelatio probant divina conservatione indigere omnia creata, ut existere pergant.

XX.

Revelatio positiva, etiam mysteriorum, neque omnipotentiæ, sapientiæ, aut bonitati divinæ, neque dignitati naturæ humanæ repugnat.

XXI.

Humani generi in communi spectato necessaria est revelatio, ut ipsas naturalis religionis veritates facile et absque dubitatione et errore cognoscat, quæ sine revelatione, a paucis tantum, et ægre post longum tempus, nec sine erroribus et dubiis plurimis cognoscerentur.

XXII.

Ut fidei nostræ « rationabile obsequium » sit, revelatio per Dei legatos proposita iis criteriis insigniatur oportet, quæ divinam ejus originem modo omnibus proportionato manifestam faciant; hujusmodi autem criteria sunt miracula et prophetiæ.

XXIII.

Neque ex necessitate antecedente, neque ex necessitate consequente, miracula repugnantiam involvunt, et æque certo constare nobis potest de eorum existentia ac de naturalibus factis constat.

XXIV.

« Lex antiqua proprie sumpta non promittebat præmia æterna, sed temporalia; nihilominus, verissimum est homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ et spiritualium bonorum et fidem ac spem eorum, sine qua impossibile est remissionem peccatorum obtinere (1) ».

XXV.

« Divino hoc oraculo : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (Gen., III, 16) » docemur « clare aperteque præmonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam ejus Matrem Mariam Virginem, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas (2) ».

XXVI.

Pariter semen Abrahæ in quo (בְּזַרְעֲךָ) benedicendas omnes gentes Deus Gen., XII, 3, coll. XXII, 18, prædicit, Christum intelligendum esse propugnamus.

XXVII.

Iisdem in locis, sicut in parallelis Gen., XVIII, 18, XXVI, 4, XXVIII, 3, perperam rationalistæ vocem

(1) Suarez, *De leg.*, l. 9, c. 6.
(2) Bulla Pii IX *Ineffabilis Deus.*



*benedicentur* de mera salutatione intelligunt, qua gentes sibi invicem bona in nomine Abrahæ apprecabuntur; econtra intelligenda est de vera benedictione, qua omnes nationes per semen Abrahæ bonis, præsertim spiritualibus, cumulabuntur.

XXVIII.

Quæ de satisfactione vicaria *servi Dei* Is., LII, 13-15, et LIII, 1-14, prædicuntur, soli Messiæ conveniunt, qui passione sua et morte sponte suscepta homines a peccatis et a pœnis peccatorum liberavit.

XXIX.

Divinitatis Jesu Christi luculentissimum argumentum depromitur ex Joann., I, 1-18, in quo totius doctrinæ de Verbo Incarnato compendium invenitur et fastigium.

XXX.

Beata Maria Filium Dei secundum naturam humanam, operante Spiritu Sancto manens virgo concepit, totumque intemeratæ virginitatis in partu et post partum servavit ornamentum ac decus, atque in universa Ecclesia *virgo*, *semper virgo*, *virgo mater*, merito salutatur.

XXXI.

Christus, sicut perfectus est Deus, ita et perfectus est homo, ex anima rationali et humana carne subsistens; una est persona, eaque divina, in duabus naturis, divina et humana, inconfusis, impermixtis, et integris permanentibus.

XXXII.

Cum hoc dogmate intime cohæret ea quæ dici solet *communicatio idiomatum*. Hæc enim in ordine reali seu

objectivo, revocatur ad illud principium quod unius personæ, sive ea nominetur Deus ex natura divina, sive homo ex natura humana, utraque natura et utriusque naturæ attributa sunt propria. Unde in ordine prædicationis, consequitur regula illa generalis : quidquid, unione supposita, affirmatur de hypostasi nominata secundum unam naturam, affirmandum est de hypostasi nominata secundum alteram naturam, non tamen quod prædicatur de una, potest prædicari de altera natura.

XXXIII.

Beata Maria Virgo proprie ac veraciter est Dei genitrix (θεοτόκος).

XXXIV.

Uno eodemque cultu latriæ, quo sanctissima Trinitas, hic homo Christus, ejusque tum tota humanitas, tum cor sacratissimum adorari debet.

XXXV.

Divinam Christi legationem probant plurima miracula in missionis suæ confirmationem patrata, inter quæ eminet gloriosa Ipsius resurrectio.

XXXVI.

Christus missionem suam continuari voluit per Ecclesiam; hanc autem instituit tamquam societatem externam et indefectibilem, atque omnibus imposuit obligationem illam ingrediendi, adeo ut voluntarie extra eam decedentibus nulla speranda sit salus.

XXXVII.

Ecclesia « distinguitur ac differt a societate civili : et quod plurimum interest, societas est genere et jure



perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat (1) ».

XXXVIII.

« Sicut finis quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia (2) ».

XXXIX.

Ecclesia est jure divino societas inæqualis. Immerito autem quidam opinati sunt rationem inæqualitatis inter membra Ecclesiæ inductam esse tempore Gnosticorum.

XL.

Vera Christi Ecclesia est essentialiter una in fide, unitate simultanea, integra. et juris. Pariter est essentialiter una in regimine, non per similitudinem, sed per identitatem.

XLI.

Christus Ecclesiam suam voluit esse columnam et firmamentum veritatis, sedem Spiritus Sancti ideo divinitus missi ut eam deduceret in omnem veritatem. Ecclesia igitur traditam a Christo Domino fidem integram inviolatamque servat, et nulla potest esse vera Ecclesia, quæ sibi, in annuntianda et tuenda fide, charisma infallibilitatis non asserat.

(1) Litt. Encycl. SS. D. Leonis XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
(2) Ibid.

XLII.

Magisterium divinitus institutum ad conservationem et propagationem sinceræ intelligentiæ veritatum revelatarum sub assistentia Spiritus Sancti, etiam infallibiliter judicat de textibus humanæ originis quatenus deposito fidei concordent vel opponantur.

XLIII.

Christi sermo, quem evangelicis litteris consignatum Matthæus exhibet XVI, 17-19, tribus formulis continetur, quæ non minus singulæ seorsim quam omnes conjunctim, ostendunt Simonem Petrum ad primatum in universalem Ecclesiam fuisse destinatum.

XLIV.

Luc., XXII, 31-32, Christus Petro promisit prærogativam fidei indefectibilis, qua jus illi fieret exigendi ut fratres omnes unam eamdemque secum fidem profiterentur, et qua primatu et principatu fidei unus inter fratres omnes emineret.

XLV.

Joann., XXI, 15-18, Christus Petrum constituit universalem omnium pastorem, illique de facto contulit primatum auctoritatis, quo instructus, sub Christo pastorum principe totam regeret et moderaretur Ecclesiam.

XLVI.

Extraordinaria potestas singulis Apostolis collata non obstat quominus Petrus inter Apostolos excellat primatuque jurisdictionis in ipsos quoque gaudeat.



XLVII.

« Quod autem in b. Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est (1) ».

XLVIII.

Vi illius Christi ordinationis, quam distinguimus a conditione successionis, absolute dicendum est Romanum Pontificem, quem universa antiquitas Petri successorem testatur, jure divino supremam auctoritatem in totam Ecclesiam obtinere.

XLIX.

Ex dotibus primatus consequitur « Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse (2) ».

(1) Conc. Vatic., *Sess. IV*, c. 2.
(2) Conc. Vatic., *Sess. IV*, c. 1.

L.

Falso asseritur in concilio Sardicensi Romano Pontifici primo tributum fuisse jus recipiendi appellationes in causis Episcoporum; concilium enim Sardicense jus illud non instituit, sed ante jam agnitum mere confirmavit.

LI.

Contra supremam Romani Pontificis jurisdictionem et infallibile ejus magisterium nihil colligi potest ex celebri retractatione et confirmatione epistolæ S. Leonis Magni ad Flavianum in concilio OEcumenico IV facta.

LII.

Contra Reformatores et Jansenistas tenendum est dari in statu naturæ lapsæ gratiam vere et mere sufficientem, seu auxilium quod perfectam quidem et completam, etiam relative ad præsentes circumstancias, tribuat potestatem bene agendi, careat tamen effectu.

LIII.

Tenenda omnino videtur sententia asserens actualis gratiæ, etiam in homine supernaturalibus habitibus instructo, necessitatem ad omnes et singulos actus salutares.

LIV.

Gratia nobis gratuito conceditur, seu, nullis operibus naturæ, sive de condigno, sive de congruo eam promereri valemus.

LV.

Gratia sanctificans, perfectissimam amicitiam constituens Deum inter et hominem, vi sua postulat intimam



et personalem præsentiam Dei in anima sanctificata. Huic ergo, præter dona creata, communicatur donum Increatum ipse Spiritus Sanctus, qui non modo per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam, tamquam amicus ei conjungitur (1).

LVI.

Sacris Litteris repugnat doctrina Protestantium de sola fide justificante.

LVII.

Quamvis sacræ Litteræ doceant ex operibus legis non justificari omnem carnem (Rom., III, 20), in circumcisione tamen, peccatum originale infantibus remittebatur, non quidem vi ipsius signi *ex opere operato* agentis, sed intuitu meritorum Christi venturi.

LVIII.

Econtra, virtus sacramenti Novæ Legis propria est, ut per ea, tanquam per causas instrumentales, hominibus non ponentibus obicem, gratia sanctificans, vi ipsius signi sensibilis sacrique externi ritus juxta Christi institutionem adhibiti, conferatur.

LIX.

Censemus causalitatem sacramentorum ex eo apte explicari, quod sacramenta, dum fiunt ex determinata institutione, vere sunt moraliter actiones Christi, applicantis per ministros fructus suæ passionis.

(1) Mazzella, *De Gratia Christi*, p. 736.

LX.

Cum virtus sacramentorum derivetur tota et quidem immediate ex meritis Christi, ministri vero non influant in eam nisi quatenus legatione fungentes pro Christo, hac sua vicaria potestate utuntur ut fiat actio sacramentalis, sequitur ad valorem sacramentorum non requiri ex parte ministri fidem vel probitatem, sed generalem intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

LXI.

Præter effectum gratiæ omnibus sacramentis communem, alter est tribus, sc. Baptismo, Confirmationi et Ordini proprius, quæ *characterem* imprimunt in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile.

LXII.

Verba quæ leguntur apud Joann., XX, 21-23, intelligenda sunt de potestate a Christo Apostolis collata remittendi peccata sententia judiciali.

LXIII.

Contritio perfecta, etiam gradu remissa, dummodo ad rationem veræ contritionis pertingat, peccata remittit absque pœnitentiæ sacramento re suscepto; in sacramento vero sufficit attritio seu dolor de peccatis e metu gehennæ vel simili motivo supernaturali ortus, si voluntatem peccandi excludat et cum spe veniæ eliciatur.

LXIV.

Ipsis verbis institutionis Eucharistiæ, non solum realis præsentiæ, sed etiam transubstantiationis dogma con-



tineri affirmandum est; ita enim persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, Ecclesia ipsa nos docet (1).

LXV.

Ipse legitimus contractus matrimonialis inter fideles ad dignitatem sacramenti fuit elevatus. Unde necessario concluditur ipsos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii.

LXVI.

Ex elevatione contractus matrimonialis ad dignitatem sacramenti deducimus soli Ecclesiæ competere potestatem pro matrimoniis fidelium statuendi impedimenta dirimentia in iisque dispensandi.

LXVII.

Cum fides habeat objectum formale seu motivum distinctum et sufficiens, adferatque specialem et majorem certitudinem quam scientia seu ratio naturalis aut visio corporalis, videtur dicendum quod simul in eodem objectum fidei divinæ esse possit, imo utiliter et necessario credatur idipsum quod evidenter in terris scitur aut videtur.

LXVIII.

« Essentia beatitudinis in actu intellectus consistit; sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens (2) ».

LXIX.

« Quia quidam homines præcipue intendunt contemplationi veritatis, quidam vero intendunt principaliter

(1) Conc. Trid., *Sess.* 13, c. 4.
(2) S. Thom., 1. 2., q. 3, a. 4, in c.

exterioribus actionibus, inde est quod vita hominis convenienter dividitur per activam et contemplativam (1) ».

LXX.

Licet aliqua stabilitas requiratur in lege, negamus tamen perpetuitatem adeo esse de essentia cujusvis legis ut hujus ratio deficiat eo solum quod legislator jam ab initio tempus præfixerit quo lex desinet.

LXXI.

La théorie qui prétend expliquer l'origine du monothéisme israélite en le présentant comme le fruit du *Jahvisme éthique* des prophètes du VIII^e^ siècle, est insuffisante au point de vue logique; dénuée de fondements et fausse au point de vue historique; contraire enfin au témoignage des prophètes qui, pour établir le droit exclusif de Jéhovah, en appellent non pas à son caractère moral, mais à sa toute-puissance ou en général à d'autres attributs.

LXXII.

La forme plurielle אלהים n'autorise en aucune façon la conclusion qu'on prétend en tirer en faveur du polythéisme primitif des Hébreux.

(1) S. Thom., 2. 2., q. 179, a. 1, in c.

*Vidit S. Facultas Theologica,*
E. H. J. Reusens, S. Fac. p. t. Decanus.
A. Dupont, S. Fac. p. t. a secretis.
*Vidit Rector Universitatis,*
J. B. Abbeloos.


VER
BUM DEI